TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

QUÆDAM COMPLECTENS,

DE

TYPHO.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS RENWICK,

ANGLUS,

Societ. Phyſic. Edinenſ. Soc. Honorar.

et Praeſes Annuus;

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Nec non,

Societ. Chem. Soc. Extraord.

Aggrediar, non tam perficiendi ſpe,

Quam experiendi voluntate. CICERO.

Ad diem 25. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

Nec requies erat ulla mali, defeſſa jacebant
Corpora, muſſabat tacito medicina timore,
Quippe patentia cum totas ardentia nocteis
Lumina verſarent oculorum expertia ſomno,
Multaque praeterea mortis tum ſigna dabantur,
Perturbata animi mens in moerore, metuque,
Triſte ſupercilium, furioſus voltus, et acer,
Sollicitae porro plenaeque ſonoribus aures,
Creber ſpiritus, aut ingens, raroque coortus,
Sudoriſque madens per collum ſplendidus humos,
Tenuia ſputa, minuta, croci contincta colore,
Salſaque per fauceis raucas vix edita tuſſi:
In manibus vero nervi trahier, tremere artus:
A pedibuſque minutatim ſuccedere frigus
Non dubitabat, item ad ſupremum denique tempus
Compreſſae nares, naſi primoris acumen
Tenue, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis,
Duraque, inhorrebat rictum, frons tenta minebat:

LUCRET. *lib.* 6. *v.* 1177.

Viro admodum erudito

MAURITIO GRIFFITH, S. T. P.

In Eccleſia Chriſti Collegiata,

Apud Mancunienſes

Socio,

Conſanguineo ſuo dilecto,

Hominique benevolo;

b Nec

Nec non,

Viro Reverendo

ROBERTO LEWIN, A. M.

Vitae integerrimo,

Qui illi fuit et amicus valde colendus,

Et ſedulus Praeceptor ;

Item,

Item,

ROBERTO NORRIS,

ARMIGERO,

Qui non ſolum propter doctrinam,

Et artium variarum ſcientiam,

Jure inſignis eſt,

Sed ob merita multa,

Animique dotes praeſtantes,

Nemini ſecundus,

Et certe

Ab eo ſpectandus ſemper amicus;

Patri

Patri inſuper chariſſimo ſuo,

(Namque haud abſonum habeatur,

Si quae

Ei debet, fateatur;

Ille enim non ſolum

Aluit ſuum filium fovitque,

Sed diligentia multa in re medica inſtituit);

Omnibus

In agro Lancaſtrienſi

Degentibus;

Hocce tentamen,

Qualecunque ſit,

D. D. CQ.

A U C T O R.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

TYPHO.

PRÆFANDA.

EX iis, quae humanam vitam infeſtant mala, nullum facilius cujuſcunque ſortis et conditionis, cujuſcunque ſexus et aetatis, homines corripit, nullum, quandocunque oritur, ſaevius aut latius vagatur, quam hoc, ſicut apud omnes mortales conſentitur, horrenda quidem febris, cui nomen *Typhus* inditum fuit.

Mihi revera non omnino patet, unde noſter morbus nomen ejus aſſecutus eſt; niſi forte ex *Typhone*, procelloſo vento, (hodie *Tiffon*), vocabulo, ſecundum mythologos a Typhaeo, iſtorum patre ventorum, qui fruges et

mortales affligunt, et tabem iis inferunt, deducto: Tali quidem conjecturae favet, quod peſtis (*a*) Athenienſium inſalubris ventus a Lybia et Ægypto flans, ab antiquis incuſabatur: Nil autem hoc refert, nec qualia de hac re a diverſis fuerint prolata ſcriptoribus. Ideo hocce in tentamine unum idemque ſignabit nomen, quaſcunque hujuſmodi labes varii varie nuncuparunt; nempe febrem peſtilentem malignam (*b*), petechialem (*c*), novam (*d*) (anno 1685), lentam nervoſam (*e*), nervoſam putridam (*f*), contagioſam (*g*), putridam contagioſam in carceribus genitam (*h*), caſtrenſem (*i*), putridam (*k*), catarrhalem putridam (*l*), putridam bilioſam (*m*), flavam Indiae Occidentalis (*n*), et Carolinae Auſtralis (*o*), etiamque peſtem (*p*), &c. utpote quae, ipſis rebus eaedem, non niſi viribus diſcrepant.

DEFINI-

(*a*) Vid. Thucydid. et Lucret. (*b*) Sennert. River. Willis. Fracaſtor. (*c*) Juncker. Hoffmann. Ludwig. Huxham. Donald Monro, &c. (*d*) Sydenham. (*e*) Huxham, Macbride, (*f*) De Mertens. (*g*) Lind. (*h*) Huxham. (*i*) Vid. Diſputat. apud Haller, tom. 5. (*k*) Macbride. (*l*) De Mertens Obſ. (*m*) De Mertens. (*n*) Warren, Hillary, &c. (*o*) Linning. (*p*) Waldſchmidt in Diſput. Haller. tom 5.; Chenot, De Haen, De Mertens, Samoilowitz, Alpin. &c.

DEFINITIO.

Morbus contagioſus; calor parum auctus; pulſus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; ſenſorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae *.

MORBI HISTORIA.

Cauſa, quae ſola, meo ſaltem judicio, ad hunc morbum progignendum ſufficit, admota, incerto temporis ſpatio, de frigoris ſenſu conqueritur homo; moleſtat primo hic ſenſus ſubito, leviter, nequaquam vero ordine certo, rigores cum calore alternantes, praecipue ſub veſperem adferens; tremulae fiunt manus, ſubinde torpor lacertos obrepit, debilibus interea membris, et inertia quadam laſſitudinis ſimili niſum omnem ſequente; deficit cibi appetitus, praeſertim illius, qui ex carnibus conficitur; abruptus ſomnus nec reficiens. His ſignis animus accedit demiſſus; caput quaſi gravatur, doletque,

* Vid. Cullen. Synopſ. Noſol. Method.

letque, praeſertim circa occiput, vertigine interea laceſſente; micant primo arteriae multo ſaepius ſolito; albida lingua, et mucoſo quodam obducta; nec tamen ſitis immodica: Qui ſic ſe habent, quanquam nec ad negotia nec oblectamenta valeant, non tamen lectis affiguntur; ingraveſcente febre, ut ſolet quinto vel ſexto die, in pejus ruunt haec omnia; tunc enim, praeſertim laſſitudinem, perſentit aegrotans; nauſeam quoque ad vomitum uſque aſſurgentem; nil tamen, niſi pituita tenuis, et ſaporis expers, egeritur; vexant praeterea dorſi, lumborum, et articulorum majorum dolores acuti; dolet necnon multo magis caput, magiſque alienatur mens: Signa omnia, quamvis mane levamen per aliquot horas parvum acceperint, ſub noctem recrudeſcunt denuo.

Pulſus plerumque frequens, debilis, et irregularis, interdum tremulus; nonnunquam pauliſper tardus, imo intermittens: Exinde forſitan, rubore ſubito eodem tempore per vultum ſuffuſo, illico velociſſimus; mox autem rurſus mirum in modum placidus, et aequalis fit; atque ſic alternas vices ſubit: Attamen citius ſeriuſve languens, mortem haud longe diſtare indicat.

Spiritus ſaepe alternatur aegre, comitantibus ponderis et conſtrictionis ſenſu, ſuſpiriiſque crebris; aër expiratus olet graviter; in ultimo fere ſtadio, ſordes nigra ad dentium radices congeritur.

Urina varia eſt: In hominibus pleriſque pallida; in quibuſdam limpida; nec raro rubida eſt, atque cereviſiae tenui et vapidae ſimilis, ſed ne aliquid ſedimenti

deponens

deponens plerumque; ſaepe autem ſtrias flocculentas et furfuraceas fluitantes oſtendens. In ſtadio provectiori, cum jam prope periculum urget, eadem fuſca evadit; et juxta finem graveolens valde, et foetens; interdum quoque cruenta. Si, juxta finem, criſis non ſupervenerit, opaca fit urina, ſedimenti nihilominus fere expers.

Lingua primo haud multum a conditione ſua ſana abeſt; at cito areſcit; et, ſi idonea cura non ſit adhibita, duriuſcula, et fuſca fit, atque foveis quaſi finditur: Aliquando tamen per totum fere morbum mollis et humida manet, ad margines luteola vel ſubviridis; modica quamvis fere ſitis, linguam ardoris ſenſus laceſſit: Tremit eadem magnopere, ſi ex ore exeratur.

Fauces ſaepe obducuntur aphthis, aegro valde moleſtis, interdum totum canalem alimentarium obſidentibus, et ad anum uſque pertinentibus; hinc dyſenteria ſanguinea, quaeque atrocia eam ſequuntur.

Alvus plerumque ſupprimitur; hoc autem fere frigoris et caloris rationem ſervat; ſi enim aëri frigido et humido objectus fuerit aeger, inſequitur ſaepiſſime diarrhoea, viceque verſa. Si vero a caſu quocunque alvus, ineunte morbo, liquata ſit, eadem uſque ad finem fere perſtat: Quandocunque malum inſigne periculum intentat, atque jam provectius eſt, inſcio homine, dejicitur; faeceſque redduntur colliquantes, ſanioſae, cruentae, et odoris cadaveroſi; ſigna viſcerum exulceratorum, mortiſque jam proximae.

Calor

Calor primo incurſu modicus adeſt; ſtadio etiam provectiori, ſi cutem leviter et in momentum tractes, vix aliquo modo calentiorem agnoſces; ſi autem cuicunque arteriae, pulſus ejus explorans, digitum adprimas, cito quoddam ad ejus apicem injucundum et ardens percipietur, cujus rationem non facile reddes, quodque pauliſper, etiam reductis digitis, manet: Hic ſenſus autem tantum perſentitur in hujuſmodi febribus valde inficientibus, eximieque contagioſis *. Incertis et inaequalibus vicibus frigus calorem excipit: Subito colore roſeo interdum genae ſuffunduntur, frigentibus interea et pallidis ſummo naſo, et auribus extremis, rore gelido fronte quoque madente: Nec raro praeterea corporis ſuperficies calet atque rubet, dum toti artus frigore quaſi horreſcunt. Paucis ante ſupremum diebus, ſi cura idonea non adhibeatur, corporis extrema omnino frigeſcunt, et arteriae pulſus aegre ſuos exercent; aliis in morbis quidem, praeter hunc, hoc ſignum praenuncium eſt mortis. Quanquam ſubinde ſudores, modo ocyus modo ſerius ceſſaturi, initio praeſertim erumpant, cutis tamen plerumque areſcit, et quaſi torrefacta conſpicitur: Sudores iſti plerumque foetent; ex pectore autem et capite fere ſolis profluunt, et aegroto ſibimetipſo ingratum ſenſum adferunt; interdum quoque gelidi et tenaces ſunt; raro autem tales, quales critici nuncupantur.

Sero

* Vide Pringle obſerv. p. 293.

Sero ſit vultus cadaveroſus; ſero quoque graviora morbi indicia gerit: Oculorum autem acies fere ſemper hebes eſt, et obtuſa; alba eorum pars fere rubore quodam imbuitur, quaſi inflammatione correpta eſſet; quanquam revera ab inflammatione nequaquam oritur hic rubor, ſed a vaſis tunicae adnatae laxioribus.

Sunt quos delirium nunquam adoritur; ſtupor autem et hallucinatio inter ſigna frequentiſſima ſunt; atque admodum pauci fuerunt, qui mentem ſani, ad exitum uſque, pervenere: Plerique ejus parum compotes, ut ab illuſtri Pringle Equite, notatum eſt *, etiam ineunte morbo, fiunt, vel a venaeſectione, vel aliis exinanitionibus nimiis, vel denuo ab intempeſtivo aut immodico liquorum ardentium uſu. Raro dormitur; ſiquando, parum reficit ſomnus, vel diris phantaſmatis et inſomniis abrumpitur; conditio veternoſa, quae adſtantibus ſomnum ipſum referre videtur, adeſſe obſervatur; aegro autem ſemper negante ſe unquam dormire. Hallucinatio ſaepe provehitur uſque ad delirium, praecipue noctu; atrox autem hoc nunquam evadit, regimine calido, caeteriſque ſimilibus, evitatis. Quum autem huc uſque perventum ſit, oculi rubeſcunt, et obtutu fero volvuntur; cita ſit vox, et aegrotus e cubito exilire conatur. Quum vero delirium ortum ſuum ab exinanitionibus nimiis traxerit, vel a morbi ſtadio provectiori natum fuerit, marceſcit vultus, et palpebrae, inter dormitandum, modo non clauſae ſunt; vox quoque, quae ferme

* Vide Pringle's obſervat. p. 294.

ferme tarda et languens erat, vix nunc, aut interdum ne vix audienda.

Progrediente morbo, mens adhuc magis moeſtitia opprimitur, vireſque deficiunt, donec debilitas, jam ad extremitatem perducta, mortem infert.

Saepius quoque tremiſcunt manus, hoc morbo inchoante, quam ſubſiliunt tendines; quanquam non raro hi quoque afficiuntur; et ſemper fere cum per longum ſpatium protrahitur morbus. Per totum fere morbum, quanto languidius pulſant arteriae, tanto magis delirium et tremores agitant; eadem praeterea ratione, qua arteriis vigor ineſt, liberatur caput, et vis animi reſtituitur.

Surditas levis ſaepe ſub initium adeſt; quum vero ad ſummum provectus eſt morbus, omnino obtundit.

Adſtantibus conſpicitur aeger, quae in ſtragulis vel parietibus vicinis forte promineant, carpens: Quamvis hoc ſignum a quibuſdam ſcriptoribus inter peſſima recenſeatur, multi tamen, quibus fuerat, ſecundam valetudinem receperunt.

Morbo adjungitur quoque eruptio, quae *petechialis* * nuncupatur, ſaepe ſed non ſemper eum comitans; etenim haud perpetuo manifeſtatur, niſi aegro aëri calido objecto; effloreſcit haec eruptio modo punicea, modo pallentior, modo etiam liveſcens; a cute autem prominere

* Primo apud recentiores hancce eruptionem notavit Fracaſtorius; nominaque indidit lenticularum, puncticularum, vel peticularum.— Vide Fracaſtor. de Morbis Contagioſis, lib. 2. cap. 6.

nere nunquam obſervatur: Pectus, dorſum, et humeros, aliquando crura et brachia, ſed vultum nunquam vel rariſſime, iſtius maculae occupant. Ipſae plerumque ſunt ita exiguae, ut, niſi quam maxima accuratione ſpectentur, interſtitia inter eas deprehendere nequeamus; cutis ſolummodo paulo rubrior, quam ſolet, conſpicitur; maculae autem adeo confertae ſunt, ut inter ſe confluere videantur. Quarto fere die vel quinto erumpunt hae; attamen aliquando poſt intempeſtivam exinanitionem tertio; nonnunquam non ante decimum quartum, vel etiam ſerius apparent; quandoque praeterea non uſquedum extinguatur homo. Largos poſt ſudores, qui equidem petechias pauliſper evaneſcere faciunt, plurimae puſtulae, quales miliariae appellantur, interdum palam ſe proferunt; ſed nunquam vel rariſſime fauſti exitus praenunciae ſunt.

Striae purpureae vel veſiculae illae, quae vibices nominantur, lineis ſanguineis ſimiles ſubter cutem ſparſae, juxta morbi finem ſubinde obſervantur.

Deficiunt nunc et animi et corporis vires; frigent extrema; ungues pallent et liveſcunt; arteriae tremulae et vibrantes fiunt, vix autem pulſantes; revera tam crebri et imbecilles earum ictus, ut vix, aut interdum ne vix numerari poſſint. Nunc aeger hallucinans omni ſenſu caret; nec ſtrepitu aliquo, nec luce clariſſima, quamvis ineunte morbo, mirum in modum perſentiiſſet ambo, afficitur: Excipitur nunc veterno delirium, et hic demum ſomno aeterno. Faeces atque urina, inſcio homine, et lachrymae ſine cauſa elabuntur. Capi-

B tis

tis crines defluunt: Augentur tremores, et ſubſultus tendinum, illico mortem inducturi.

Ab ejus graviori, ſeu mitiori ſtatu pendet morbi duratio; aliquando, ſed raro intra quinque vel ſeptem dies, aeger convaleſcit; in aliis exemplis per ſeptem vel plures etiam hebdomadas differtur ſanitas. Si autem per tantum ſpatium progrediatur morbus, aliquid ſaepe fatuitatis aegrum arripit, fere non per multos menſes diſceſſurae, nec quoad vires omnino reficiantur. Clephane, ille doctus et ſagax homo, decimo ſeptimo die, plerumque ex eo, quo lecto affixus eſt aeger, ſigna meliora, fere, ſi unquam, obſerri monuit: Alii vero ſolertes medici, malum vel morte, vel, quanquam rarius, ſanitate, intra ſeptem dies, excipi, memoriae prodiderunt.

In plurimis exemplis veternus, ſomnum ſimulans, adoritur, et tantus eſt quantus aegro facultatem praebeat, virium adeo recipiendarum, ut melius cum incurſibus morbi futuris conflictari valeat. Interdum quoque criſin afferens fauſtam in parotidum *, maxillarum, aliarumve glandularum, benignam ſuppurationem definit; dira autem haec, cum maligna intentat. Multi gangraenam, quae in partibus, quibus aeger recumbit, oritur, pro bono ſigno habuerunt: Pro malo contra alii; quod equidem mihi veriſimilius videtur †.

QUÆ

* Pringle obſervavit, quod glandulae parotideae ipſae, nunquam aut rariſſime in ſuppurationem abeunt, ſed tantum quaedam lymphaticae, iis ſuperjacentes.

† In diſputationibus autem, ab Alberto clariſſimo Van Haller ſelectis,

QUÆ CADAVERE INCISO REPERIUNTUR.

Tam exigua eſt cognitio, quae cadavera hominum, hoc morbo peremptorum, ſcrutantes adipiſci poſſumus, quod ne ullius momenti etiam ſcrutari videatur; recenſebo autem ea, quae pauca vel egomet vidi, vel e libris accepi, vel denuo audivi.

Vaſa in viſceribus turgentia, quaſi ex inflammatione (quamvis revera, meo ſaltem judicio, a cauſa diverſa, laxitate ſcilicet, pendeat haec res) comperta ſunt ſaepiſſime, ut et inter ſe cohaerentia. Cranio quoque exempto, et meninge duriori reſciſſa, cerebri vaſa turgentia, ut illa viſcerum, et ex eadem cauſa, non raro obſervantur.

Abſceſſus ampli in cerebro quoque, praeſertim in ejus anteriori parte, poſt morbos hujuſmodi graviores, et liquido ſerum lactis referente impleti, aliquando conſpiciuntur: In exemplis hujuſmodi, caput nonnihil diſtenſum, et ſolito majus, videtur. In nonnullis qui, poſtquam hoc morbo laboraverant, ſanitatem receperunt, externe jam recenſitis ſimilia apparuerunt; fatuitas

lectis, exemplum de febre maligna, per gangraenam pedis dextri in regione externi malleoli ſoluta, nobis traditur.—Vid. Haller. Diſput. vol. 5. p. 179.

tas autem per menſes aliquot, ut in morbi hiſtoria dictum eſt, ſaepe permanſit.

Lind *, pauca hominum cadavera hoc morbo interemptorum ipſe diſſecans, his vel illis in corporis cavis quantitatem puris ſanioſi amplam fere ſemper invenit; in tabulas quoque retulit exempla quaedam hujuſmodi.

Quae, inter cadavera peſte peremptorum, ſe manifeſtarunt, iſta, quae in iis noſtro hoc morbo extinctorum, adeo ſimulant, ut tantum gradu diſcrepantia videantur.

Quos peſtis apud Maſſiliam, anno 1722, ſaeviens e medio ſuſtulit, illis, corda diſtenta plerumque et nigro atque concreto ſanguine referta eſſe conſpiciebantur. In paucis auriculae lividae et quaſi gangraena correptae erant.

In quibuſdam cerebri membranae nigritiae ſua ſe ſimiliter laboraſſe ſuadebant: Cerebri quidem nonnunquam ipſius pars corticalis liveſcebat; per medullarem interea maculis colore ſimili vel etiam fere nigro ſparſis.

Pulmones autem in pleriſque pleurae coſtarum adhaerebant.

Hepar interdum valde ampliabatur, ejuſque vaſa ſanguine atro turgebant: In uno quaſi gangraena correptum videbatur, et ſaepiſſime in fellis veſicula bilis nigra et ſubviridis ſe in conſpectum dedit.

Abſceſſus necnon quodam in cadavere, inter integumenta et muſculum pectoralem majorem ſiniſtrum, in altero

* Lind on Fevers and Infection, p. 95.

altero inter pectoris cavum et mediaſtinum reſidens, inveniebatur.

Bis polypi craſſi in cordis ventriculis ſemet oſtenderunt.

DE DIAGNOSI.

Typhum inter et ſynochum, febrem ſcilicet quae initio ſynocha, progreſſu verſuſque finem typhus nominatur, diagnoſin ſtatuere multi conati ſunt. Ego autem, cum viro illo ſolertiſſimo Cullen omnino conſentiens, ſynochum ſolummodo ut varietatem typhi, ab eadem cauſa, ſed aegro in diatheſi phlogiſtica admota, provenientem, et ſimile curationis conſilium poſtulantem, habeo: Quae equidem ſententia, a rebus poſt exinanitiones temere factas in pejus ruentibus, confirmatur.

Eſt morbus a pleriſque medicis *puerperus* nuncupatus; ſigna cujus, meo ſaltem judicio, magnopere typhi ſimulant; quod equidem vir ille indefeſſus White Mancunienſis, exemplis ab eo prolatis, mulierum quae inter puerperis ſubminiſtrandum typho ipſo correptae ſunt, probare conatus eſt.

Memoriae quidem perpauca fuere prodita, de morbo *puerpero* a parte aliqua inter enixum lacerata, qualis ſcilicet ad partum pertineret, prognato, nulla alia cauſa

excitante

excitante admota: Si autem hoc cum vero ſtet, contra id quod aſſeveravi, haud infertur argumentum: Sed etiam quod ad idem ego potius ſuſpicarer res aegrae fortuito obvenientes illam multo magis morbo opportunam reddere poſſe, adeo ut halitus inficientis quam minimum ad morbum gignendum ſufficeret. Dum ejus origo, propter attentionem et curam, quas illi puerperae ipſae impenderent, parum adſtantibus ſpectaretur. Auſim praeterea, quamvis haud ſine magna diffidentia, affirmare, quod, ſi idonea cura, ad aegrae vel aliorum halitum diſſipandum, aëre libere perflante, et ſtragulis lecti ſaepe mutatis, adhiberetur, nulla quae rite febris *puerpera* dici poteſt unquam ſe oſtenderet; ut et, quod ullus morbus forte adoriens partes quaſdam ſolummodo afficeret, vel affectionis cujuſdam topicae foret *ſymptomaticus*, remediis topicis curandus.

Quidam ſcriptores, peſtem ab hoc et origine et ſignis quae ſecum adfert malum omnino diverſum eſſe, voluerunt; hoc vero nequaquam patet, nec enim, intra progrediendum peſtis, aliquid praeter hujus morbi graviora ſigna manifeſtat; eandem quoque agnoſcit originem, eadem nec non, ac quae in caeteris febribus contagioſis medendis utilia ſunt, remedia poſtulat.

Multi ſunt revera alii morbi typho non omnino abſimiles; cynanche videlicet maligna, ſpecies pneumoniae putridae, id eſt, peripneumonia et pleuritis, malignae aphthae, et variolae confluentes, pemphigus, &c.; tot vero ſunt, quae ſatis certo iſtos a noſtro morbo dignoſcant, quod in hoc morari ſupervacaneum habeo.

DE CAUSIS.

Quae equidem a nobis in *praediſponentes* et unicam excitantem diſtinguentur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Sunt omnia quae hominum vires ita attenuent, ut excitanti magis fiant obnoxii *.

Cauſas illas in ſequentem tabulam digerere conatus ſum; ſuntque

A. Frigus vehemens, illatum

a. humido aëre vel ſicco; aut, denuo,

b. veſtimentis madidis:

B.

* Duo ſunt morbi, hydrops ſcilicet et phthiſis pulmonalis, qui forte huic opinioni ſanciendae repugnent; ut et quodammodo, annotante celeberrimo Lind, ſcorbutus; nunquam enim vel rariſſime typho obnoxii ſunt, qui hoc morbo laboraverunt. Quo modo hujus rei ratio reddenda eſt, omnino neſcirem, niſi in ſolertis Joannis Hunter ſententias irem, et duas contagiones, potiuſve morbos violentos, nequaquam uno eodemque tempore poſſe ſuas vires exercere, aſſeverarem.

B. Calor immodicus:

C. Affectus animi ſedantes; ut
a. timor,
b. moeror,
c. invidia:

D. Affectus animi excitantes; ut
a. ira,
b. amor, &c.

E. Quodcunque immodicum; ſcilicet
a. ebrietas iterata,
b. ingluvies,
c. nimia Venus,
d. negotia, meditationes, et alia quibus valde incumbitur,
e. pervigilia, ſimiliaque:

F. Diaeta tenuis; qualis ſit
a. a vegetabilibus confecta, atque
b. potiones, quae parum nutriunt:

G. Vita iners:

H. Largae exinanitiones; vel
a. a venaeſectione nimia ex conſilia facta, vel
b. vulneribus fortuito inflictis:

I. Omnia ad putredinem proclivia.

Atque haec quidem nunc ſingulatim manent tractanda: Imprimis igitur quod ad

A. Frigus vehemens illatum, humido aëre vel ſicco, aut denuo veſtimentis madidis;

Ea ratione qua frigoris humano corpori admoti vires ſunt diverſae, diverſos effectus edunt; primo enim ſtimulant; deinceps tonicae fiunt; poſtremo, quum diu et acriter inſtiterint, ſedantes evaſurae.

Incidit pleriſque opinio, hoc malum a frigore ſolo ortum ſuum ducere: Eorum autem opinionem, quamvis diffidentia ſumma, quia maximi nominis ſunt, quodammodo rejicere vellem, nempe, quoniam non deſunt exempla ei omnino repugnantia. Etenim omnibus notum eſt, quod a frigore inſolito quemcunque afficiente, *catarrhus*, *pneumonia*, vel *rheumatiſmus* gigni ſolent: Quae equidem a malo, quod jam verſamus, natura, quantum nobis innotuit, ſaltem vero ſignis quae prae ſe ferunt, et medendi ratione quam poſtulant, valde diverſa ſunt. Fuerunt praeterea, quibus dubio fuit, an a frigore unquam illa febris eſſet cui Cullen *ſynocha* ut nomen indidit: Ex iis quoque nonnulli febrem *idiopathicam* illi ſimilem exiſtere omnino negarunt; talem ſolummodo affectionis *inflammatoriae* et localis indicium aſſeverantes. Iſtis concedatur, nec enim mihi negandum eſt *ſynocham*, raro accidere; illam vero nunquam fuiſſe conſpectam dicere, e vero, quantum ſcio, excedit: *Synocham* enim, a frigore ſolo prognatam, ſe conſpexiſſe ſaepe, retulit clariſſimus Home; nec dubitavit eruditiſſimus Gregory, febrem, ſynocham omnino ſimulantem, quamque *idiopathicam* non potuit non exiſtimare, cuique exinanitiones nequaquam parcae fuere

medendi conſilio, ſemetipſum obſervaſſe ſemel, edicens.

Aër frigidus, vel alia quae ſtimulant, corpora una cum cauſa excitante, vel ante eam admota, propter diatheſin phlogiſticam tunc exiſtentem, forſitan illa, quae ſignis ſynochi ſimilia ſunt, progenerent; atque ex tali ſimilitudine, et antiquorum et etiam recentiorum medicorum errores, ut et mala quae inde ſecuta ſunt, ortum ſuum forte traxerint. Quoniam calor animantium vitae adeo neceſſarius eſt, ut, hoc ex toto deficiente, illa quoque deficiat, et extinguatur; humanum corpus tanto frigore afflictum, quantum temperiem illius minorem ea ſexaginta duorumque graduum reddat, oportet, ut inde quadam ex parte debilius factum, citius et facilius morbi cauſa excitante afficiatur; atque huc ſpectat aër frigidus et humidus. Attamen, quia ex madidis veſtimentis frigus ſaepe et perſtringit diutius, et clarius in animalium vitam effectus ſuos praeſtat, proxime ſcilicet admotum, aliquo ejus viribus obſtituro intercedente, conſequitur, ut cauſae excitanti multo magis faveat.

B. Calor immodicus, qui equidem ſtimulo omnino et animantibus et vegetabilibus neceſſario eſt; ſed qui, cum nimius ſit, corporis proprium imminuit, (debilitatem ſcilicet inducendo), nervos quatit et tremulos reddit; quae vel ſecerni vel excerni debent magnopere perturbat; animi facultates infirmat; ſanguinis curſui obſtat; haud leviter exinde inimicum ſit corpori, typho propterea opportuniori, atque toti impotentiam et irritabilitatem impertitur.

C.

C. Quod vero ad animi affectus ſedantes, timorem nempe, moeſtitiam, et invidiam: Debilitas a talibus illata nemini patere non poteſt; ad quam vero pollent praecipue timor et moeſtitia; id enim vivax principium, quod cerebro ineſt, minuendo, et exinde cordis arteriarumque vim propulſantem, impetum ſanguinis ultimos canales ſuos ad corporis ſuperficiem pertranſituri frangunt, et frigus in iſtis partibus, comitante pallore, inducentes, propterea corporis univerſa munera infirmant. Non autem ſemper hoc modo timor vitae viribus adverſus eſt; etenim ex ejus gradu vario effectus variatur: Vehemens haud leviter ſedat, apoplexiam, paralyſin, ſyncopen, et ipſam mortem adferens; ſed mediocris, renixu corporis aucto, haud parum ſaepe profecit, in epilepſia aliiſque morbis nervos convellentibus.

* Mackenzie et Timoni, de peſte quae apud Conſtantinopolin ſaeviit differentes, protulerunt id quod hanc opinionem omnino obruere videretur. Turci enim, ut aiunt, cum peſtis jam immanis eſſet, timoris ne minimum indicium gerentes, paſſim per urbem vagati ſunt, et catervatim occubuerunt: Dum Chriſtiani, qui ſe domibus clauſis continuerunt, et omne fere commercium cum aegris evitarunt, dira contagione vix affecti ſunt. Inter ea autem explicanda, vix ego timorem (quamvis rari ſunt mortales, mortis terrore non percellendi, utcunque ab eo vacui videantur), in quae-

ſtionem

* Philoſoph. Tranſact. vol. 6. et 47.

ſtionem hic vocarem; ſed quae ad illum pertinent omnino pertranſirem; quis enim abnegaret ejus effectus? Qui debilitando, etſi morbum non confeſtim excitent, ejus origini ſaltem faveat: Deliciae autem inſuper veneris nimium cultae, et alia immodica, quibus Aſiatici iſti ſunt praecipue dediti, quaeque certo debilitant, reddunt illos quam maxime habitui lethali accipiendo (a Chriſtianis quantum potuere, evitato) obnoxios.

Tabes autem illa et mentis et corporis qua invidia homines mulctatur, per omnia ſaecula horrenda imago fuit; ſic loquitur Ovidius:

"Utque Deam vidit formaque, armiſque decoram;
"Ingemuit: Vultumque ima ad ſuſpiria duxit.
"Pallor in ore ſedet: Macies in corpore toto:
"Nuſquam recta acies: Livent rubigine dentes:
"Pectora felle virent: Lingua eſt ſuffuſa veneno;
"Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores.
"Nec fruitur ſomno, vigilacibus excita curis:
"Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
"Succeſſus hominum: Carpitque et carpitur una:
"Suppliciumque ſuum eſt *."

Illa quoque, ſub hoc capite, quae ſuſpicio amatorum angens infert, memoranda ſint; et liceat mihi hic citare verſiculos Armſtrong illius, et medici periti, et poetae

* Vide P. Ovid. Metamorph. lib. 2. lin. 773.

tae ſuavis: Optime enim depingunt acerbos ejus effectus;

"But fruitleſs, hopeleſs, diſappointed, rack'd
"With jealouſy, fatigu'd with hope and fear,
"Too ſerious, or too languiſhingly fond,
"Unnerves the body, and unmans the ſoul *."

D. Ira autem, amor, &c. animi affectus excitantes nocent, impertiendo corporis actionibus naturalibus, tantum ad commovendum proclivitatis, quantum ex ipſarum niſu, brevi collapſu inducto, linquit hominem debilem et malo obnoxium.

E. Quodcunque immodicum; ut ebrietas iterata; ingluvies; nimia Venus; negotia, meditationes, vel alia quibus valde incumbitur; pervigilia, &c. Haec, ut omnia quae nimis cient, vel exercent animum, effectus malos inter collabendum edunt, cerebri vim minuendo, et propterea totum corpus infirmando.

F. Dieta tenuis, qualis ſit a vegetabilibus confecta, atque potiones quae parum nutriunt: Cibus nimis parce aſſumptus, vel etiam is, qui parum nutrit, quantitate majore juſto et ſolito, non, quantum ſat, nutrimenti praebet. Atque teſtimonio ſit experientia quotidiana fere, typhum maxime graſſari ubicunque inedia, moeſtitia, et ſimilia, animum depreſſerint; exinde carceribus tam familiaris eſt: Illi necnon, qui typho laborantibus jejuni

* Vid. Armſtrong on Health, lib. 4. lin. 365.

jejuni ſubminiſtrarunt, multo ſaepius et facilius, quam alii, eodem malo correpti ſunt.

G. Vita iners: Quoniam vix aliquid ſecundae valetudini tam neceſſarium, quam exercitatio modica, eſt, ita vix aliquid pejora quam iners vita et otioſa ſecum adfert: A tali enim innumera progignuntur mala; nervorum vis vivax imminuitur; tardeſcit ſanguis circumferendus; concoctio non rite perficitur; nec ab ea, uti debet, corpus nutritur: Collabuntur muſculi, vires ſuas remittentes; et ſecernendi quemcunque humorem munus vitio corripitur. Celeberrimus Van Swieten inter exercitationem et ruris opera laudanda haec profert: "Dum duro labore victum ſibi et ſuis comparat "ruſticus, quam firma habet omnia, quam robuſta! "Omnes aëris injurias ſpernit, duriſſimos vorans cibos "digerit perfectiſſime. Otio et luxu perditus homo, "quam debilis, quam miſere vivit! Minimam aëris "ambientis mutationem ſentit ilico; et mil'enis gulae "irritamentis, quae ſatietas, non fames, invenit, vix "poteſt languentem excitare ventriculum *."

H. Magnae exinanitiones, vel a venaeſectione nimia ex conſilio facta, vel vulneribus fortuito inflictis: Omnem exinanitionem ſolito majorem, utpote quae humorum vitae neceſſariorum nimium detrahunt, poſſe homines adeo debilitare, ut magis ſint obnoxii labi, patet.

I. Omnia ad putredinem proclivia: Quae, quia halitum naturali et ſano alienum emittunt, ex neceſſitate hominem

* Vid. Van Swieten. Comment. vol. I. § 30. p. 41.

hominem debilitantia, (quamvis non tam inſigniter quam illa quae antea memorata ſunt), propterea morbo ſuſcipiendo favent.

A medicis quibuſdam, fere omnia *praediſponentia* jam recenſita hunc morbum ſingula progenerare poſſe, exiſtimatum eſt: Alii autem ortum ejus putreſcentibus ſolis aſcripſerunt: Sed hujuſmodi opiniones, propter exempla fere innumera repugnantia, obſoleverunt; praeſertim vero ea quae putredinem eſſe cauſam vult, et a celeberrimo Van Swieten eam reſpuente haec profeıuntur: "Illos, qui coria animalium ad varios uſus parant, illos, qui gluten ex animalium partibus conficiunt, perpetuo inſpirare aërem putridis exhalationibus inquinatum, et tamen vivere ſatis ſanos. Foetor autem tantus eſt in his locis, ubi talia opificia peraguntur, ut vel tranſeuntes offendat. Immo obſervatum fuit, aërem putridis effluviis repletum, fuiſſe peſtis remedium †."

CAUSA EXCITANS.

Humanum igitur halitum, ut cauſam ejus ſolam habemus; qui, poſtquam diu in locis anguſtis incarceratus fuerit,

† Vid. Van Swieten. Comment. vol. 5.

fuerit, adeo inficiens evadit, ut homini, praeſertim antea opportuno, admotus, morbum, de quo agimus, cieat.

Hanc ſententiam cum vero ſtare, fere innumera teſtantur; eamque medici plerique amplexi ſunt. Innotuit enim hanc febrem, in locis ubi conferti homines coercentur, praecipue graſſari, propter commercium non evitandum. Quandocunque carcer, inſula, vel navium claſſis, ab hoc morbo, per aliquod tempus, omnino immunia fuerint, et poſtea eo infeſta fiant, hanc ei cauſam eſſe, ſi ſedulo perſcruteris, reperietur *.

Eandem contagionem diverſis modis propagari opinati ſunt medici; nempe aëre circumfuſo; hoc morbo laborantium contactu; et denique, fomitibus: De quibus ſingulatim tractandum eſt.

1*mo*, Quod ad aëra; apud medicos parum conſtat, an aër atmoſphaericus unquam hoc contagium adferat; contigit autem mihi exempla quaedam obſervare tali opinioni nequaquam faventia; haec enim febris, ſiquando *ſporadica* ſit, tardiſſime inter mortales vagatur; inſuper etiam, cum acrius inficit contagio febrem gignens, halitus nocivus non late per aëra diffunditur; hoc verum eſſe teſtantur plerique, qui de peſte ſcripſerunt; multo magis autem, ab illis, quae in Noſocomiis obſervata ſunt, haec res probatur; in iis enim nonnunquam, ne etiam ille qui in lecto proximo ei, cui aliquis hoc morbo laborans affigitur, typho corripitur. Unde li-

cet

* Vid. Lind, &c.

cet inferre, aëra ſolum hujus morbi diffundendi vel omnino non incuſandum, vel fere inſontem eſſe; imo ne vix aſſeverare dubitarem, aëra talem contra eum maximum auxilium ferre.

Sed omnino conſtat, quod cum aër quacunque ratione gravior factus fuerit, hanc contagionem magis graſſari; quod teſtantur carcera, naves, et omnia loca anguſtiora, in quibus glomerantur homines.

Celeberrimus Prieſtley in locis anguſtis aëra phlogiſto ſcatere aſſeverat, et exinde mutationem accipere; ſuſpicari idcirco licet, illum in talibus locis propterea inquinari, et fieri id per quod ab uno homine ad alterum permeat contagio. Hoc et loca in quibus pollet contagio eaedem opinioni favent, nec non ratio, qua malo occurritur, eandem veriſimilem reddunt.

Iis praeterea, qui volunt putredinem huic morbo cauſae eſſe, objici poteſt, quod contagio haecce praecipue infeſta eſt in locis, ubi phlogiſton, putredini omnino repugnans, maxime abundat; ſicut in carceribus, &c. probatur.

2*do*, Contactus cujuſcunque hoc morbo laborantis. Hodie vix dubitatur, quin aliquis morbo tam contagioſo correptus, ex contactu ſuo, ſimile malum communicare poſſit; ideo exempla hoc teſtantia proferre ſupervacaneum habeo: Vellem ſolummodo hic innui, quod ejus contagio rarius, nec tam facile contactu inficit, ſi humanum corpus, ei, ob quaſdam cauſas accedentes, non antea opportunum fuerit.

3*tio*, Subeunt fomites. Illi enim halitus, qui ab aegro exorti fuerint, veſtimentis et ſtragulis cujuſcunque generis praecipue inſident, et ab iis inſigniter lethales profluunt; nec ab iis vacuae ſunt domiciliorum arcae et parietes, nec tranſtra navium nec tabulae. Ab exemplis compluribus conſtat, contagionem hoc modo quam aliis omnibus multo certius propagari et diffundi poſſe; atque hoc mihi contingere videtur, ab eo inficiente quod halitui ineſt, multo magis adhuc, quam cum recens ab humano corpore oriretur, acriori evadente, poſtquam coercitum diu ſtagnaverit, non in auras diffuſum, non afflatu quocunque diſſipatum.

Nec, quod ad typhi propagationem, refert, an illi a quibus eſt halitus ipſe, vel illi quorum veſtimentis inſidet idem, aut morbo ipſo eo tempore laborent, aut antea laboraverint. Etenim homines, quorum veſtimenta hoc halitu viroſo ſcatent, immunibus ipſis, alios inficere comprobarunt multa: Quod quidem, etſi deeſſent alia, teſtata eſt illa contagio, quae anno domini 1577, inter comitia provincialia Oxoniae habita, multos infecit, ut et illa quae ex curia iſta Anglice *Old Bailey* appellata, a ſontibus anno 1750 proguata, complures corripuit. Quae mala et qualis contagio anno 1577 exorta ſunt, depinxit ipſe Cambden: "Iiſdem diebus, dum "judices ad aſſizas Oxoniae ſederent, et Roulandus "Jenkus procacis linguae bibliopola de proboſis in prin-"cipem verbis in judicium vocaretur; venenoſo et peſ-"tilenti halitu, ſive ex pedore incarceratorum, ſive ex "ſolo, ita correpti ſunt plerique omnes qui aderant, ut "intra

"intra quadraginta plus minus dies fere ſinguli praeter "mulieres et pueros obierint, nec non contagione alii "tacti. Inter hos fuere viri graves et juris ſcientia cla- "riſſimi, et jurati, quos vocant, fere omnes, et alii plus "minus trecenti *."

Etenim illi homines inter ſordes et immunditiam omnigenam diu verſati erant; inde halitus nocivi, et contagio exquiſita pedetentim apud eos progenerabantur; nempe quae paulatim exorientia, tam diu, iſtis adeo familiaria erant, et aëre quem ſpirando receperunt adeo penitus immiſta, quod non facile ab iis omnino decederent; propter conſuetudinem ipſis innocentia, ſed facile ab inſuetis, dum lente exhalarentur, recepta, et eos propterea facilius afficientia, morbum huncce progenitura. In hoc, ut in omnibus aliis, conſuetudo multum valet; id enim quod propter eam huic homini proſit, illi propter eandem mortem vel ſaltem morbum inferat.

Quidam opinati ſunt hanc febrem oboriri poſſe ab aegri cujuſvis halitu; et exempla huic opinioni faventia proferuntur; praecipue vero a cl. Lind, hanc ipſam febrem ab halitu hominum diarrhoea, mania, atque etiam variolis laborantium, prognatam eſſe, probare conante, talia recenſentur: Mihi autem veriſimilius videtur, vix niſi ab halitu eorum, qui diarrhoea, aut mania, corripiuntur, eximie vitiato hoc malum naſci; et ab eo illorum, qui variolis implicantur, rariſſime, niſi quibus

* Vid. Cambden. Annal. Elizabeth. anno 1577, p. 271.

quibus antea variolae contigerant; aliter enim ſe rebus habentibus, variolae ipſae multo potius quam noſter morbus inſequerentur.

Pauca hic, de modo quo contagio haecce humanum corpus afficit, proferenda ſunt.

Satis compertum habeo, eam fere ſemper primo genus nervoſum infeſtare: Ut et, quoniam nervi ferme ubicunque corporis ſunt, morbum inducendum fore ab eo, quod inficit, cuicunque parti, et quacunque ratione, admoto *.

Patent autem ei tres praecipui aditus; ſcilicet,

1*mis*, Una cum ſaliva in ventriculum recipiatur;

2*do*, Una cum ſpiritu in pulmones; vel,

3*tio*, Per foramina cutis.

1*mis*, Quod ad ſalivam hujuſmodi morbum ſecum una ferentem; quoniám pus variolarum, morbique venerei contagioſum ab ore in ventriculum delatum vix aut ne vix variolis et morbo venereo cauſae eſt, parum veriſimile videtur typhum hoc modo inferri poſſe; niſi revera humor gaſtricus, quem ego effectibus ejus adverſari opinor, ita vitiatus fuerit, ut non amplius proprio munere fungatur; aut, nervis laeſis, ipſi veneno faveat.

2*do*,

* Aliquando ſub et peſte et hoc morbo nervos non primo correptos eſſe forte perſuaſum videretur, ſcilicet, quia in priori ſaepiſſime bubones, &c. tam cito erumpunt. Nonne vero nobis licet, quod ad hoc, enunciare venenum in iſtiuſmodi exemplis per abſorbentia in corpus recipi, et eruptiones ex iſta cauſa varias exſurgere? Hinc autem nil univerſum ſtatui poteſt.

2*do*, Sed multo magis veriſimile eſt, ſpiritum receptum contagioni vehiculo eſſe; quanquam ejus, eodem emiſſo, quoque aliquantulum emittatur; etenim inter tranſitum nervuli per nares interiores ſparſi, et illi qui organa reſpirationis pertinent, forſitan afficiantur.

3*tio*, Maxime autem huic malo patere videtur id iter, quod cutis foramina praebent; ibi enim praecipue nervi abundant; quos, ineunte malo, ſolos ab eo laborare, ideoque morbum hoc aditu potiuſquam ullo alio induci poſſe cenſeo. Huic opinioni favet ille conſenſus, qui inter corporis ſuperficiem et ventriculum intercedit; cujus, quandocunque inter partes corporis diſſitas obtineat, a medicis omnibus nervi pro cauſa habiti ſunt; apud eoſdem praeterea convenit, talem conſenſum, quocunque modo hujus partis fibras ſentientes afficientem, eodem quoque illius affecturum eſſe. Ex hoc principio redditur eorum, quae ab *anorexia* et nauſea proveniunt, ratio; illae enim affectiones, in morbo, de quo agimus, praecipue moleſtantes, a fibris muſculorum, inter quas plurimi diſcurrunt nervi, *atonia* laxatis oriuntur; cum igitur haec contagio, nervos infeſtatos oſtendens, et propter eos jam muneri ſuo impares, muſculorum fibras, (non enim hi, immunibus illis, laeduntur), laxiores reddiderit, ad ventriculum ob conſenſum jam memoratum decurrit recta haec laxitas, vel *atonia*, ibi proxime *anorexiam* et nauſeam ſui ſimiles editura; ſimiles, inquam, quia apud medicos conſtat, tonum ventriculi fibrarum imminutum iis originem praebere; et propterea haec

contagio,

contagio, cum debilitatem inferens, adoritur, in ventriculum effectus ſuos primum manifeſtat.

Effectibus ſuis, potiuſquam aliquo alio modo, dignoſcitur haec inficiens materies. Odor autem ſubinde percipitur, quod teſtatur cl. Lind; en ejus verba: "In "diſcourſing with ſeveral who have been infected by "patients in contagious fevers, they generally com-"pared the firſt impreſſion to an earthy diſagreeable "ſcent, received into the ſtomach, as from a grave "newly opened, but not quite ſo raw as the cadaver-"ous ſtench; and the effects of it, ſhivering and ſick-"neſs, were inſtantaneous. This is a particular ſmell, "which cannot be deſcribed *; ſome compare it to "that of rotten ſtraw. It ſometimes moſt nearly ap-"proaches to the diſagreeable affecting ſcent from a "perſon labouring under the confluent ſmall-pox at "their turn, though it is not ſo ſtrong †."

Nec non illi ſolerti medico Campbell, qui nuper de typho librum edidit, ſimilem, ut ipſe narrat, odorem prope cellas carceris Lancaſtrienſis perſentire contigit; nec fuit hic ſine magno negotio ſublatus ‡.

Pauca nunc dicenda ſunt de illa aëris temperie, quae potiſſimum hujus morbi propagationi favet. Campbell, quem ſupra citavi, opinatus eſt, eam haud inſigniter contagioſam eſſe, niſi in regionibus temperiei mediae vel frigidioris: In ejus ſententiam mihi omnino eundum

* Vide Lind on fevers and infection, p. 62.

† Vide notam ejuſdem.

‡ Vide Campbell's obſervations on typhus, p. 32.

eundum eſt; nam multa eam ſancientia alii ſcriptores protulerunt. Memoravit * Ruſſel in Hierapolis hiſtoria, peſtem, poſteaquam hyeme in oris iſtis eximie infeſta fuerit, per aeſtivum calorem interquieſcere, et fere omnino ceſſare. Item obſervavit Alpinus, peſtem aëris caliditate abſumi †.

Certiores fecit praeterea Lind, febrem Indiae Occidentalis flavam, raro in iis regionibus, quibus ſol rectius affulget, contagione propagari; ſed ejus vires nocentes et valde inficientes ſeipſas oſtendere, et cito homines arripere, ſiquando alicujus ab ea interempti veſtes, &c. ad regiones magis frigentes tranſvehantur.

‡ Blane quoque memoria dignum habuit, quod naves hoc morbo inſalubres redditae, et homines eo laborantes ab Europa ad Indiam Occidentalem portantes, plerumque, quamprimum plagas calidiores appulerint, ab eo immunes fiunt; nec non quod vix recrudeſcit malum poſtea, ſi adverſus id ulla, etiam minima, cura impendatur.

Ex his non alienum inferre videtur, contagionem hanc in aëris media temperie, et regionibus quae coelo temperato gaudent, praecipue nocere, et ſaepiſſime graſſari; haud raro etiam annotante Lind, quando acre eſt frigus, maxime urget: Iſtis autem rebus adjiciatur, quod apud noſtras plagas, autumno decurrente, vel incipiente jam vere, latiſſime homines infeſtat typhus; praecipue autem

* Vide Ruſſel's Hiſtory of Aleppo, p. 227.

† Vide Alpin. de Medicin. Egypt. lib. 1. p. 28.

‡ Vide Blane on the health of ſeamen, p. 278.

autem poſtquam nubiloſus ſtagnaverit aër, et talis fuerit qualis a Celſo gravior appellatur.

CAUSA PROXIMA.

De cauſa proxima tot, et tam multis ſcriptoribus prolata ſunt, quod de illa multis diſſerere vix mihi opus eſſe videtur; id tantummodo memoratum vellem, quod ab exemplis fere innumeris, me judice, probatur, et de hac re, inter cauſas remotas quantum ſufficiat, recenſetur; nempe vires, quae vitae neceſſariae ſunt, fractas et debilitatas proximae huic morbo eſſe cauſae; exinde cuncta, quae illum ſignant, profluere, et exinde humores omnes fieri ad putredinem proclives: Adjiciatur quoque, quod retulit illuſtriſſimus Cullen. En verba ejus: "Such, however, is, at the ſame time, the nature of the animal oeconomy, that this debility proves an indirect ſtimulus to the ſanguiferous ſyſtem; whence, by the intervention of the cold ſtage, and ſpaſm connected with it, the action of the heart and larger arteries is increaſed, and continues ſo till it has had the effect of reſtoring the energy of the brain, of extending this energy to the extreme veſſels, of reſtoring their action, and thereby eſpecially overcoming the ſpaſm affecting them; upon the re-

"moving

" moving of which, the excretion of ſweat, and other " marks of the relaxation of excretories, take place .*"

DE PROGNOSI.

Conjecturalis eſt fere omnino illa medicinae pars quae σημειωτικη vocatur; ea tamen medicus peritus non ſine jure utitur, et ex arte ſua, variis, quae forte contingant, accommodat: Etenim, quia morbi fere omnes in eorum progreſſu, notas complures exhibent, quae ea ratione qua ſalutem, vel interitum, vel quemcunque alium exitum, obſcurius aut clarius denunciant, minoris vel majoris momenti, quod ad medendi rationem, et alia, ſunt; oportet ut illas notas quam maxima attentione obſervemus.

In hoc autem morbo, ſi delirium leve; ſi vires non admodum fractae; ſi cruribus paulum reductis in hoc vel illud latus, ut ei antea in uſu fuit, recumbit aeger; ſi facile in lecto convertitur; ſi noctu dormit; ſi interdiu vigilat; ſi arteriae, cardiacis adminiſtratis, pleniores pulſant; ſi juxta finem morbi lenis adeſt ſudor, vel liquatur alvus; ſed praecipue ſi, aphthis non proritantibus, largior profluit ſaliva; ſi in diverſis partibus tumores apparent benigni; ſi petechiae fuſcum colorem ſplen-

 didiore

* Vide Cullen's Firſt Lines, ſect. 46.

didiore mutent, fauſta augurare licet. Duretus in tabulas retulit, quod, ſi lingua in febribus mollis et humida eſt, bona praenunciantur.

Surditas a quibuſdam inter optima ſigna habita, a cl. Home, experientia propria edocto, inter mala potius recenſenda exiſtimatur; atque mihi ejus opinio cum veritate omnino conſentire videtur; vitium enim, organo quae auditui inſervit, non facile medendum, ab hoc ſigno indicatur. * Baglivi opinatus eſt ſurditatem poſt ſeptimum diem ſupervenientem, ſed non niſi cum aliae res meliora polliceantur, ad exitum optandum ſpectare.

Subeunt nunc illa ex quibus infauſta praedici ſolent.

Ea autem ſigna ſunt, quae mortem vel magnam debilitatem inſecuturam, atque propterea ad putredinem quandam humorum proclivitatem, oſtendunt; ſcilicet,

1*mis*, Quae *functiones* animales laeſas indicant: id eſt,

A. Cum illi motus, qui ex voluntate fieri ſolent, impediuntur; cum exinde iners et quaſi delapſus evadit aeger; cum in lecto reſupinus jacet cruribus manibuſque porrectis, nec ſeipſum poteſt ab hoc in illud latus vertere; et cum deorſum ad pedes ſubinde delabitur.

B. Cum iidem, propter debilitatem vel laxitatem eorum organa corripientem, motus irregulares fiunt, nec rite nec ſolito more perficiuntur; cum exinde balbutiens lingua fit, et

* Vide Prax. Medic. Bagliv. lib. 1. p. 70.

et manus tremunt; cum ſubſiliunt tendines, et dentes ſtrident; cum nervorum diſtenſiones adoriuntur; cum oculi omnia oblique intuentur, et tarde interea volvuntur.

C. Cum ſentiendi facultas hebetior fit; nempe cum ſoliti ſtimuli parum percipiuntur; ut, 1*mis*, Lux; oculis obtutu fixo haerentibus; atque vel quae forte objiciantur geminata, vel indiſtincta conſpicientibus: 2*do*, Sonitus; qui non excitans ſurditatem indicat; cum praeterea aures valde tinniunt.

D. Cum mens non amplius ſui compos eſt; caligine, comate, pervigilio, inſomniis diris, delirio mitiori vel atrociori moleſtantibus.

2*do*, Quae indicant *functiones* vitales laeſas; id eſt,

A. Cum languidius et tardius ab arteriis pulſatur; vel cum illarum pulſus ſubinde ceſſant *; ſic ſe rebus habentibus, frigidi ſudores prorumpunt; pallet vultus, et ungues livent.

B. Cum extrema frigent, ut manus, pedes, ſummus naſus, et aurium ambitus.

C.

* Ballonius aſſeverat lethum, arteriis per ſpatium duorum ictuum pulſus ſuos intermittentibus, non longe diſtare.

Rega nos a ſua experientia docuit, ſubitaneam mutationem pulſus frequentis in rarum omni in febre funeſtam eſſe. Oportet autem ut, antequam hoc in modo praeſagiamus, talis mutationis cauſae praecognitae ſint; quia forte non morbi vires, ſed quoddam aliud ei cauſae ſit.—Vide Reg. Method. Medend. cap. 3.

C. Cum corpore erecto, vel ex motu, linquitur animo.

D. Cum ſpiritus aegre et tarde alternatur, quanquam organis, quae illum reciprocant, deſit vitium. Praenuncius mortis Hippocrati fuit ſpiritus languеſcens, ſed frequens.

3*tio*, Quae indicant *functiones* naturales laeſas; id eſt,

A. Cum ventriculus infirmatur, *anorexia*, nauſea, vel vomitu laceſſentibus; cum guſtus adeo corrumpitur, ut vel non munere ſuo fungatur, vel abnormem exerceat.

B. Cum excernenda, inſcio homine, profluunt, ut urina, et faeces, ſpincteribus ſuis non amplius coercentibus, vel lachrymae, ductu ſuo muneri impari propter laxitatem evadente.

C. Cum deglutiendi difficultas adeſt, muſculis huic muneri inſervientibus debilibus, vel paralyticis.

Ea autem, quae humores ad putredinem proclives indicant, ad firma jam debilia, et laxata praecipue referenda ſunt; atque hanc humorum conditionem oſtendunt.

A. Sanguis, cordis vi impellente non aucta, a qualibet parte effuſus; ſubcutaneae effuſiones, vel ſanguinis rubri, petechias, maculas, aut vibices, facientis, vel ſeri flavidi; unde febris Indiae Occidentalis flava.

B.

B. Excretiones a ſana conditione mutatae; ut faeces liquidae, valde foetentes, et hominem atterentes; urina rubrior, quaſi ſanguine tincta, et male olens; olidus quoque ſudor, et latex ille quem epiſpaſtica proritant *; foetet inſuper anima, et

C. Cadaveroſus eſt totius corporis odor.

Haec praecipua ſunt ſigna, ſalutem vel necem portendentia: Notandum eſt autem, quod inter peſſima ſpes tamen ſupereſt.

QUORUNDAM RATIO SIGNORUM.

Debilitas praecipuum eſt ſignum, vires animales laborare faciens; non autem admodum formidoloſa ea debilitas, quae non univerſa eſt; a cerebri vi imminuta ea pendere videtur; et inde de illis, quae ex morbo futura ſunt, praeſagimus.

Delirium

* Lind habuit quamcunque partem epiſpaſticis *deglubitam*, et tenaciori quodam, quaſi coriaceo, fere digitum craſſo, obductam, atque a partibus ſubjacentibus, propter humorem ab iis exſudantem, facile divellendo, ſignare febrem eximie periculoſam, et omini infauſto eſſe; idem memorat quod, hoc velamine ſublato, aliud ſed tenuius ſubit. Si autem caro ſubjacens maculis albidis vel rubris interſtinguatur, bona augurare licet; ſi fuſcis vel liventibus, ſpes vitae inanis. —Vide Lind on Fevers and Infection, p. 117.

Delirium praecipue enumerari meretur; hoc omnium febrium commune, et a cerebri affectione abnormi, undecunque orta, pendere videtur; atque ſimul vitae principium ipſum laeſum indicat. Quoniam vero hoc horrendorum praenuncium eſt, valde intereſt eorum, qui medicinam exercent, non ignorare, quomodo hujus affectionis diverſi gradus inter ſe dignoſcantur.

Quum vero diatheſis phlogiſtica ſub initium major eſt, *pyrexia* vehementiore ingruente, capite dolente, vultu et oculis rubentibus, hiſce lucem refugientibus, et auribus ſonitum quemcunque vix patientibus, delirium eo quam typhi atrocius adeſt; quod quidem praeterea ſignant animus levi ex cauſa exaſperatus, loquela celerior, et ſonantior quaſi ex ira; aeger necnon e lecto exiliens. Sed in typho (niſi ea, quae delirium animi mala accendere ſolent, admoveantur) delirium adeſt mite, et praegrediuntur ea, quae corpus valde infirmatum indicant, nempe pulſus arteriarum debiles et plerumque crebri, demiſſus animus, vertigo, ſtupor, vultus Hippocraticus, triſtis, et oculi quaſi vitreo quodam obducti: Æger nec ferox nec iracundus; non e lecto emicat; et ſermo placidus, quamvis alienus et muſſitans; deficit memoria, nec mens ſolito ordine ſuas cogitationes verſat; quaeque notiones magis familiares erant penitus obſoleſcunt; amicos et adſtantes vel parum recognoſcit aeger vel oblivifcitur.

Quaedam ex his ſignis inter artem ſuam exercendam concurrentia et confuſa ſaepe offendit medicus; nec non haec primo aſpectu a ſe invicem diſtinguere, utcunque

cunque neceſſarium, eſt difficile; rebus autem ſic ſe habentibus, nihil ei reſtat niſi caute audendo, ſolertiam ſuam et remediorum idoneorum ſcientiam, corporis ſtatu quam accuratiſſime obſervato, manifeſtare.

Non deſunt complura alia ſigna functionum animalium laeſarum, quaeque recenſeri debent; ſed hujus tractatus limites inter illa non latius progredi ſinunt.

Vitales functiones autem praecipue laborare videntur, a vi cordis propellente imminuta, atque ea vi cerebri, quae ενεργεια vocatur, fracta et impedita; ex his enim vitiis ſanguis non amplius ſolito impetu per vaſa circumagitur; atque inde illa mala, quae in prognoſi memorantur; inter quae autem praecipua eſt ſyncope, cordis vel delaſſati, vel omnino requieſcentis, indicium.

Quum vero functiones naturales impediuntur, ſigna quae ſe proferunt, concoctionis facultatem deficientem, devorandi laeſam, atque canalem inteſtinorum laxum, et ſuo muneri imparem, ſphincteribus ſuis, indicant.

Quandocunque vero humores ad putredinem proclives eſſe videntur, inferatur ſolida laxata et debiliora eſſe. Fere omnes equidem ſcriptores opinati ſunt, putredinem non niſi in ſanguine ipſo obtinere; exempla nec non eorum ſententiae faventia protulere: Sed haec ipſa opinio, me judice, fundamentis lubricis nititur; etenim a quibuſdam ex iis, qui putredini ſanguinem totum inficienti voluerunt adſcribere malum, narrantur ea quae propriam doctrinam omnino refellunt. Si enim putredo adeſſet, ſanguis ſolito tenacior foret; aliter autem res hoc in morbo ſe habent, et (quod teſtatus

tus eſt illuſtris Sydenham) ſanguis ab homine ſic laborante detractus vix diverſus eſt ab eo, quem pleuritis exhibet. Nec cum hoc diſcrepant, quae medici hominum peſte Maſſilienſi peremptorum cadavera inſpicientes obſervarunt; quibuſque in cordis cavis tunc reperiebatur ſanguis ſolito ſpiſſior, et firme coactus; cor nec non ipſum inſuetae magnitudinis erat. Lind quoque hiſtorias morborum hujuſmodi, in quibus ſanguis fuit, etiam juxta morbum extremum, viſcoſus et tenax, perhibuit; ſanguinem cujuſcunque hoc morbo laborantis ſolito more incraſſamentum, &c. ſe reſolvere, monuit idem. Campbell ſimilem eſſe ſanguinem, a naribus in hoc morbo ſua ſponte profluentem, ei caeterorum hujuſmodi profluviorum obſervavit.

Quamvis autem de putredine, vel etiam ſanguine tenuiore et ſolutiore dubitetur, non dubium eſt, quin graves et foetidi odores ab hoc morbo cieantur, opportunitatem ad putredinem indicantes. Sed horum, mea ſententia, ratio non latet, ſcilicet quia, (ut Millman annotavit), firmis debilibus, et eorum fibris ex hoc malo minus cohaerentibus, humores, quos in ſanitate coercebant, facilius a vaſorum exhalantium oribus, laxis jam et inde patulis, elabuntur; hinc a naribus, gingivis, vel alicubi corporis, prorumpit ſanguis; hinc petechiae ſemet oſtendunt; hinc quoque, ſero effuſo inter cutem et membranam cellularem, ille color, qui flavam febrem Indiae Occidentalis inſignit: Conſtat praeterea, nihil citius putreſcere, quam, cum in calore corporis humani retinetur, ſanguis a vaſis ſuis elapſus; inde, ut cito graves odores oriantur, neceſſe eſt, atque, ut, ea ratione,

qua

qua in tali carcere ſanguis commoratur, opportunitas ad putredinem augeſcat.

Exiſtimatum eſt eos, qui hoc morbo extinguuntur, citius corrumpi, quam alii, atque ab hac opinione deductum fuit argumentum eorum ante ſupremum diem magis ſolito putreſcentium. Haec autem opinio inanis; probatum eſt enim, quod, qui morbis inflammantibus ſuccumbunt, citius quam, qui typho, in putredinem ruunt.

DE PROPHYLAXI.

Perventum eſt nunc ad eam diſſertationis hujuſce partem, quae, meo judicio, maximi eſt momenti; ſcilicet, quae prophylactica nuncupatur, et qua de morbo futuro cavetur: Ad hoc conſequendum, inſtituenda ſunt haec conſilia: Et,

1*mis*, Oportet, ut halitus humanus, qui coercitus, et inde corruptus, hujus morbi periculum adfert, omni cura in auras diffundatur: Ad quod convenit evitare omnia loca anguſtiora, in quibus multi homines per longiuſculum tempus congregati fuerint. Quandocunque autem hoc fieri non poteſt, i. e. quando in navibus, noſocomiis, et carceribus detinentur homines; iſtae tunc rationes ſervandae ſunt, quae quam maxime iſtos halitus diſpergant.

In carceribus et navibus, ubi ex neceſſitate corferti ſunt homines, oportet ut omnis immundities ſedulo evitetur, quia praebet fomites innumeros vaporibus inquinatis et nocivis; praecipue autem ea cloacarum, quae quidem prope opificum aedificia, ergaſtula, noſocomia, vel carcerum cellulas, nunquam, ſi fieri poteſt, extrui debent, niſi juxta labatur flumen, ſordes omnes ablaturum; ut cellae, et quaecunque alia carcerum ſedulo verrantur, et ab omni ſorde purgentur; ut cubicula quam ſaepiſſime detergantur aqua calcis, vel ea, cum quo multum *ſpiritus vitrioli* aut picis liquidi acidi commiſcetur; ut parietes, et tecta radantur, et laventur calcis vivae, et aquae mixtura calida ter quaterve, vel ſaepius quotannis. Quanti momenti ſit immunditiem omnem ablegari, et ut ad omnes rationes, quibus evitari poſſit, confugiatur, omnibus facile patebit; praecipue autem utile erit, ſi aër omnia et navium et carcerum libere perflet; cui propoſito optime reſpondet id inſtrumentum quod venerandus Hales excogitavit, et quod manu verſatur; ſed equidem cum ſolerti Howard, hoc conſilium non omnino ſufficere ad morbum praeveniendum aut fugandum in cellulis ſubterraneis, aſſeverante, conſentio; quamvis refocillando et aëra renovando neceſſe eſt, ut etiam in iis aliquid commodi, nec leve, adferat.

In opificum aedificiis et ergaſtulis in quibus ſpatium anguſtum multis hominibus frequens eſt, neceſſarium erit feneſtras et aperturas ſemper cum noctis aut meridiei otium permittit, reſerari; et melius adhuc erit,

ſi

ſi nec tempeſtas nec ipſa eorum opera vetat, etiam inter labores illa aperta ſervari; ſi vero hoc non convenit, maximi commodi erit, ubicunque tales labores perficiuntur in aedibus clauſis, ab inſtrumentis jam dictis ventilari.

Propter hoc quoque efficiendum inſtrumenta ea, quae * Campbell laudavit, praecipue utilia ſunt: Quae quidem rationes uſurpantur in noſocomiis, ſimilibuſque locis, hic vix minus neceſſariae ſunt: Oportet quoque in carceribus, multa cura et induſtria lavare, et emundare cubilia, &c.

In omnibus praeterea hujuſmodi locis, fornaces cum focis apertis, huc et illuc inter conclavia et cameras accendi debent; ſi vero, hyeme ſuperveniente, hae non ad calorem ſufficiant, hypocauſta, patulis inter ea ſemper fornicum focis, adjiciantur.

2*do*, Oportet ut mari naves, et terra quaecunque ſarcinas tranſvehunt a locis ubi hujus morbi vel peſtis infectio oritur, vel procul ab hominum, vel aliarum rerum conſortio, moram quadragenariam agant; ne ea, quae importantur, contagionis ſint fomites; nec rite haec mora perfici poteſt, niſi omnia ſuſpecta referentur, in aprico collocentur, et aëre, faſciculis reſolutis, perflentur. Servanda ſunt quoque, nec cura levi, alia, quae prophylactica nuncupari poſſunt, antequam merces in hominum caetum recipiantur; de his autem mox tractabo. His rationibus cura debita ſervatis, mora quadragenaria

* Vide Obſerv. on Typhus, p. 18.

quadragenaria brevior reddi poſſet; et inde inſuper certius et magis ad amuſſim eadem perſolveretur; tollerentur enim magna ex parte iſtae illecebrae quae homines ex ſtatione imperata furtim excedere inducunt.

3*tio*, Quandocunque vero orta fuerit infectio, deinceps cavendum eſt, ne illa ſeſe per loca vicina diffundat. Hoc autem vix fieri poteſt, niſi incolae, una cum mercibus coerceantur, nec ultra ſuos limites exire permittantur, uſquedum omnino a morbo immunes fiant.

4*to*, Inſignem curam poſtulat conſilium quartum; ſcilicet, ne infectio, quandocunque paucos in oppido adortus eſt, latius ſerpat.

Obſervationibus compertum eſt, contagium hocce homines nunquam arripere e longinquo; nec niſi propius accedatur illis, qui jam ab eo laborant, vel rebus, quae quoniam antea aegris hujuſmodi admota fuerunt, eo imbuuntur, et halitu nocivo ſcatent. Hinc inferendum eſt, quod qui, et jam infectos, et eorum ſupellectilia omnino evitare poſſunt, morbum facile effugient. Ad tales effectus vero praeſtandos, oportebit magiſtratus ſuam auctoritatem exercere; et, 1*mis*, Omnes, qui ſani ſunt, negotiis loci non omnino neceſſarios decedere; 2*do*, Omnes conventus nugatorios, et commercium inutile prohiberi; 3*tio*, Omne conſortium, cum non evitari poteſt, ſine contactu peragi; 4*to*, Victum et omnia neceſſaria familiis adhuc intactis tali modo ſubminiſtrari, ut iſti non cogantur foras excedere; 5*to*, Homines affectos non e ſuis domibus egredi, niſi in noſocomio ſe recipiant

recipiant ſtatim; *6to*, Aëra omnia aedium perflari, atque merces et ſupellectilia infecta publice comburi.

5to, Hoc conſilium reſpicit praeſertim eos, qui in gravibus locis ex neceſſitate commorantur; et magis adhuc eos, quibus opus eſt commercium aliquod cum infectis ipſis ſervare. Iſti, quibus in locis gravibus commorantibus commercium cum aegris non injungitur, caveant, praeter contactum, ne etiam propius ſint, vel merces infectae, vel humana corpora: Sufficiet equidem, ad hoc, exiguum intervallum, modo non afflentur aëre halitum exitioſum ab aegris vel mercibus adferente, niſi ſpatio longiuſculo intercedente.

Innotuit, quod quaedam ex contagionibus maxime viroſis effectus ſuos non edunt, niſi corpora hominum in ea conditione ſint, quae laedi ab ejus impreſſione apta reddat; vel cum cauſae quaedam concurrentes ejus vires exaſperent; talem igitur conditionem, et tales cauſas evitare, ſaepe a morbo illaeſum ſervet hominem.

Apta ſunt autem corpora hominum contagionis impreſſioni, quum debiliora redduntur. Evitanda ſunt igitur ſumma cura omnia praediſponentia, utpote quae cum cauſa excitante concurrentia, vires novas ei impertiuntur, corpore ab iis jam opportuniori reddito.

Laudata ſunt complura ut corpora hominum roborantia, et idcirco contagionis effectibus adverſa. Ab hoc conſilio non alienus eſt vini, cereviſiae, aliorumque liquorum meraciorum modicus uſus; convenit quoque exercitatio talis, qualis nec corpus defatiget, nec calefaciat.

A balneo frigido quoque homines commoda perceperunt; et forte eo a ſano adhuc corpore profligari poteſt intentans, et nimium vicinus morbus. Veriſimile eſt ex medicamentis aliis bona ſperari poſſe; ſed pauca ſunt illa; ſcilicet, non niſi quae tonica et ſtimulantia nuncupantur; quorum praecipua ſunt cortex Peruvianus, cinchona *Jamaicenſis*, * vinum, &c. Annotavit Cullen, quod, ſi antiſeptica aliquid boni polliceantur, camphora, et intus et extrinſecus applicata, maxime eligenda videtur. Indulgeatur quoque omnis homo eo genere prophylacticorum quibus maxime addicitur, et quorum venerationem forte acceperit, an incantamenta, an medicamenta; modo poſteriora plane non noceant.

Ab omnibus fere medicis uſus nicotianae, calami aromatici, et aliorum, quae, ut ſialogogae agunt, ſemper valde laudatus fuit, et nunc dierum non omnino obſolevit.

6to, Reſtant nunc conſilia requirenda, quae neceſſaria ſunt ad rite cavendum de mercibus et aliis rebus halitu hoc contagioſo imbutis.

Ex iis, quae antea dicta ſunt de regionibus et tempeſtatibus hoc morbo infeſtis, patebit ejus fomites vix vel nunquam exiguo intervallo inficere, ſi antea in certo caloris gradu ſatis diu manſerint; Hoc igitur ad mer-

ces,

* Timoni annotavit, Armenos omnium gentium minime ad peſtem eſſe obnoxios; et obſervat, quoque illos pauciſſimis uti carnibus, at cepis, porris, et alliis, vino autem maxime.—Vide Philoſ. Tranſact. vol. 4. part 3. cap. 2.

ces, veſtimenta, et alia ejuſmodi pertinet; non autem hactenus monſtratum qui caloris gradus neceſſarius ſit.

Cl. Lind memorat, ſe raro aut nunquam cognoſſe ignis et fumi idoneam applicationem non reſpondere, quod ad clauſa loca, merces, &c. purganda.

Idem quoque monuit, quod tres rationes fere in uſu ſint ad naves quae jam hominibus vacant purgandas; ſcilicet, nicotianae, ſulphuris, et arſenici fumis. In alia quoque ejuſdem operis parte retulit, quod fumus pulveris nitrati humidiuſculi, et inde tardius urentis, nec ſolito more ſe explodentis, ob idem conſilium uſurpatur, atque ab eo laudes accepit: Retulit praeterea idem, quod haec contagio, quae in nave antea ſaevierat, poſt pugnam navalem omnino ceſſavit: Et hoc quidem ejuſdem fumis aſcripſit ille.

Hic mihi liceat, quae, ab indefeſſo Lind, et aliis auctoribus, et ſua experientia nitente, de fumigatione collegerat humaniſſimus Howard, citare: "Charcoal "fires," inquit ille, "ſhould be lighted in the mor-"ning, and allowed to remain till evening, and half a "pound of brimſtone thrown upon each, their ſmoke "in the mean time being cloſely confined. They may "be made in iron pots. This fumigation ſhould be "repeated every day for a fortnight. Every morning "after the fumigation, the ports and hatchways ſhould "be opened, and the inſide of the ſhip waſhed with "warm vinegar; and, after the laſt fumigation, before "the men return to the ſhip, the decks ſhould be "thoroughly ſcraped and cleaned. If the infection "has

" has been very violent, the parts of the ſhip moſt ex-
" poſed to it may alſo be white waſhed. Every thing
" ragged and dirty ſhould be deſtroyed, as alſo the
" clothes and bedding of ſuch as brought the infection
" into the ſhip, the bedding of ſuch as have died of
" the fever, and, unleſs the infection has been very
" mild, the bedding of ſuch as have had the fever,
" though recovered. The remaining clothes and bed-
" ding ſhould be purified, by being expoſed twice a
" week to the ſteams of the brimſtone and charcoal;
" or, when the brimſtone might be ſuppoſed to in-
" jure the clothes, they may be hung up in a cloſe
" place, expoſed to the ſmoke of tobacco ſtrewed
" on charcoal fires. Linens, and ſuch articles as
" will admit of being wetted, ſhould, after the firſt
" fumigation, be ſteeped for ſeveral hours in cold wa-
" ter or leys, be well waſhed, and then dried in the
" open air. If, during the fortnight of this fumiga-
" tion, any perſon is taken ill of the fever, the fort-
" night ſhould again commence from the day on which
" ſuch perſon leaves the ſhip. Strict attention ſhould
" be paid to the cleanlineſs of the men, both in their
" perſons and apparel: Such as are ſluggiſh and dirty
" ſhould be made to bathe and clean themſelves; and
" a ſufficient quantity of ſlops ſhould be iſſued, that
" every man may have a change of clothes *."

Haec

* Vide Howard's State of Priſons, &c. p. 32.

Haec quoque in aedibus omnibus peragenda ſunt. Ob idem conſilium baccae juniperi et caſcarillae cortex laudantur.

At neceſſe eſt, ut nemo, niſi admodum caute, penetralia, conclavia, vel alia loca poſtquam ſic fumis repleta fuerint, intret. Propter quod cataſtromata, tormentorum feneſtrellae, et aliae aperturae, aedium nec non feneſtrae, et oſtia, per aliquod tempus reſerari debent, priuſquam aliquis ingrediatur. Maximi quoque momenti eſt, ut moneatur omnia infecta debere, ſi fieri poteſt, antequam laventur, in clibano includi. Narravit Campbell ſe hoc non ſine commodo expertum eſſe, cum varia generis veſtimenta et alia purificanda eſſent: Vellem ego quoque cum eo conſentire in hoc, quod purificationis cauſa praecipua eſſet calor, non fumus.

RATIO MEDENDI.

Si, *prophylacticis* omnibus fruſtra tentatis, morbus nihilominus aggrediatur, conſilia medendi haec perſequi debemus: Et,

1*mis*, Spaſmum extremorum vaſorum a debilitate orientem tollere *.

 2*do*,

* Spaſmum revera ſaepe contingere vix aliquem latebit; et idcirco conſilium hoc inſtitui, ſcriptorum nemine inſuper vetante: Etiamſi quaedam

2*do*, Cauſas debilitatis removere, vel effectibus ejus occurrere.

3*tio*, Per ſtadia typhi poſteriora proclivitati humorum ad putredinem obſiſtere; eandemve corrigere.

De his ſingulatim tractaturus ſum; et, 1*mis*, Quod ad ſpaſmum extremorum tollendum, remedia convenientia vel interna, vel externa ſunt. Inter interna recenſentur, 1*mis*, Ea quae humores ad ſuperficiem propellunt; et quae, tono et vigore vaſis reſtituto, ſpaſmum illa corripientem ſuperent; 2*do*, Ea quae antiſpaſmodica nuncupantur.

Remedia, quae humores ad ſuperficiem propellunt, maxime ſunt

Diluentia,
Sales medii,
Sudorifica,
Emetica.

Quia, in ſano corporis ſtatu, non fluidi ſunt humores, niſi propter aliquod aquae in iis exiſtens, ideo aqua aptiſſima eſt, quod ad ſanguinis maſſam diluendam: Caeteri quoque latices tantum diluunt, ea ratione, qua iis aqua ineſt.

Quia praeterea ſpaſmus vaſorum pendere videtur a vi circumagente humores imminuta, atque exinanitione a tali ſtatu, illis jam contractioribus, inducta, nihil ad hunc contractionis

quaedam non vero multa ſpaſmum febris typhi haud ſemper comitem eſſe ſuadentia obveniant; hucque ſpectant egregii noſtri Gregory obſervationes: Multa vero ſunt quae, medicinam facienti, de hac re dubitationem injiciant.

contractionis ſtatum tam neceſſarium eſt, quam multum aquae, vel laticum aquoſorum, hauſtu vel quomodocunque receptum: Quandocunque enim aqua ſolito largior cum humoribus commiſcetur, eadem a vaſis excernentibus eliminatur; exindeque, ut eorum extrema dilatentur, neceſſe eſt, et ſpaſmus laxetur.

Equidem potio laticum aquoſorum larga ſemper olim in febribus verſata fuit; praecipue vero medicis Hiſpaniae et Italiae, a quibus nomen *diaeta* aquea: Cujus uſus, omni genere cibi et potus evitato, et, partitis vicibus, indies ſex vel octo libris aquae purae, plerumque frigidae, interdum tepidae, hauſtis, abſolvitur: Quae quidem *methodus* caeteris in febribus inſignis utilitatis ſit; in hac vero ſummae noxae, quoniam debilitas tam cito et maxime augetur.

Sales medii.—Hi certa in quantitate in ventriculum recepti, paulo poſt ſenſum caloris in ſuperficiem corporis generant; atque ex iis, aegro contecto et pluribus ſtragulis involuto, ſudor facile erumpit: Notum eſt praeterea, ſales medios vomitum, qui tam ſaepe ſtadium febrium frigidum comitatur, ſedare plerumque. Haec plane oſtendunt, iſtos poteſtatem habere humores ad ſuperficiem propellendi; et propterea valere ad ſpaſmum, qui ſub initium hujuſce febris adeſt, ſolvendum.

Ille ſal medius, qui fere in febribus adhibetur, ex *alkali* cum *acido nativo vegetabilium* juncto, conſtat: *Alkalina*, quae huic propoſito optime reſpondent, ſunt *ſal tartari*, et ſales ammoniaci volatiles; valentiores quorum ſunt poſteriores. Veriſimile mihi videtur, quod ſales

medii

medii ſuos effectus optime praeſtant, ſi in ventriculum ita ingerantur, ut ibi efferveſcant.

Sudorifica.—A ſcriptoribus multis ſudorem elicere repudiatur: Verum eſt, quod multis aliis febribus continuis magnae utilitatis fuit hicce uſus; attamen in hac, quia maxima debilitas adeſt, perſuaſum habeo, ſudorifica, etiam optima, parum convenire; non enim proficit, niſi per longiuſculum tempus profluxerit ſudor; augetur autem ab hoc debilitas, et inde uſus eorum periculo non vacat. Sub initium morbi, auctore Pringle, ſudorifica etiam vel poſt emeticum adminiſtratum, vel etiam per ſe, utilia fuerunt; et ab iis aliquando morbum penitus ſublatum eſſe accepit ille. Ad hoc propoſitum rite perficiendum, fotus inferiorum conferunt multum; nec non tepidi liquores hauſti, praeſertim aquoſi pauxillo vini, vel alicujus aromatis, ſaporis gratia, adjecto. Forſan vero efficaciſſime, ut Cullen monuit, iſti effectus edentur, ſi medii ſalis vel tartari emetici quantitati aſſumptae addatur, aut, ut in Doveri pulvere, opii aliquid.

Emetica.—Quae quoque humores ad ſuperficiem propellunt: Et modo quo fibras ventriculi muſculoſas afficiant, ad actionem cient vaſa minima ad ſuperficiem poſita, et inde ſanguinem in iſta vaſa impellunt, debilitatem removent, et ſpaſmum ea conſtringentem tollunt.

Propter hoc efficiendum, emetica duplici modo adminiſtrantur; id eſt, vel ea quantitate, quae vomitum plenum et iteratum inducat, vel ea quae non inſignem vomitum, ſed nauſeam et faſtidium, ferat.

Obſervatum

* Obſervatum fuit, vomitum poſtquam contagio recepta eſt, et cum ejus actio incipit manifeſtari, ventriculum agitantem, ſaepe febris reditum, quae aliter ſupervenerit, praevertiſſe.

Raro autem contigit obſervandum, vomitum plenum omnino febres ſolvere; atque, ſiquando illa revera ingruit, fere neceſſarium erit vomitum ſaepius repeti; quod quidem ſaepe magnum adfert incommodum, quia vomitus pleni effectus cito ceſſat, ſed ipſe multum infirmat; et idcirco, cum vomitus atoniam et ſpaſmum non omnino tollat, malum fortaſſe redintegratis viribus redeat. Perſtant autem diutius effectus, et operatio eorum quae tantum nauſeam ſuſcitant; et haec quoque extremorum vaſorum actionem excitant: Illa nec non ſaepe ſudoris quiddam inducunt, et tutior eorum actio, alvo ab iis plerumque dejecta.

Quae emetica mihi utiliſſima videntur, ſunt ipecacuanha, et quae a ſtibio parantur, quae quidem ab ill. Cullen praecipue laudantur. In omni febris ſtadio cujus ergo poſtulantur emetica, ſed praecipue ad vomitum ciendum, utile medicamentum eſt ipecacuanha; quamvis non tam exquiſite ad nauſeam tantum inducendam convenit, quia ipſum vomitum, etiam exigua quantitate adhibitum, ſaepiſſime excitat.

Quae a ſtibio parantur, varia recenſentur; ſed ſub duobus capitibus congeri poſſunt: Primum ea complectitur, quibus pars *regulina* ſub tali conditione eſt, ut ab acidis

* Vide Lind on Fevers and Infection, p. 20.

acidis afficiatur; et idcirco effectus ſuos praeſtat, quando cum acidis in ventriculo commiſcetur: Altera ea comprehendit in quibus pars *regulina* jam juncta fuit cum acido, effectus ejus ſtatim oſtendens.

Complura ſunt utriuſque exempla, non autem inter ſe invicem multum diſcrepantia.

Docuit ill. Cullen, quod, ſi *calcem antimonii nitratam* Pharmacopeiae Edinenſis cum ejuſdem tartaro emetico conferamus, quantum diſcrepant iſta, ſat patebit.

Prior, animadvertit ille, prope eadem eſt cum eo qui Jacobi pulvis appellatur.

Idem quoque adminiſtrationi tartari emitici favet, quia remedium hoc illo certius, magiſque voluntati noſtrae ſubjiciendum. In febribus continuis exacerbationes non ſatis notabiles ſunt; ſed unam fere circa meridiem, (vel paulo poſt, vel antea), et alteram ſub veſperem accidere plerumque, apud omnes convenit; idcirco paulo antea emetica adhiberi debent.

Quod ad rationem ea adminiſtrandi pertinet, ſimplex eſt illa qua *calx nitrata antimonii* adhibetur; quia tota quantitas, quae forte idonea habeatur, tempore uno aſſumitur; nec res iteranda eſt, donec altera acceſſio ſupervenerit.

Ab hac adminiſtratione diverſa eſt ea tartari emetici; adhibendus enim ille in quantitatibus quarum ſingula non ad vomitum ciendum ſufficiat; et hoc poſt brevia intervalla, deinceps ſaepius repetendum eſt, uſquedum nauſeae et faſtidii aliquod, ſed leve ſupervenerit: Quodcunque in hac adminiſtratione varium eſt, a quantitate,

majore

majore vel minore, et intervallorum ſpatio oritur; ſi velis ut ab eo alvus dejiciatur, exigua ſit ſingula quantitas, et intervalla longiora; contra, ſi vomitus ſit neceſſarius, vel aliena alvi dejectio, minuantur haec, augeantur illae: Si tamen non conveniant ad tempora acceſſionum emetica, et hoc monſtrarunt pericula pauca rite facta, neceſſe erit ut non amplius utamur iis; quoniam, niſi ſub initium, raro proficiunt; et exinanitio quaevis iterata ſaepe nocet aegro valde, quia debilitat.

Alia remedia interna, quorum uſus eſt ſpaſmum vaſorum extremorum tollere, antiſpaſmodica nuncupantur.

Non latet, opium, camphoram, moſchum, et alia forte, quae antiſpaſmodica habentur, in febribus non ſine commodo fuiſſe uſurpata: Non autem nullius laboris diſcernere quando, et cui rei camphora, moſchus, &c. idonea ſint et tuta; atque ideo non hic neceſſarium eſt in illa morari; de opii autem uſu alio in loco tractabo.

2do, Extrinſecus admovenda ſunt, propter vaſorum extremorum ſpaſmum tollendum, epiſpaſtica et balneum tepidum.

Epiſpaſtica.—Haec vi ſua ſtimulatrice effectus ſuos edere videntur; quamvis non diu maneant qui effectus ab hac vi proveniant. Patet a multis exemplis, humoribus ad cutem attractis, et effuſione ibi facta, vaſorum profundiorum ſpaſmum laxare. Opinatur Cullen, magnos in febribus continuis effectus epiſpaſticorum ab extremorum vaſorum ſpaſmo laxato, propter conſenſum, qui

qui inter partem, cui epiſpaſticum admovetur, et reliquam cutem intercedit, provenire; quam quidem ſententiam firmant epiſpaſticorum in colica et dyſenteria effectus.

Valentiora ſunt epiſpaſtica in morbi ſtadio provectiori, cum debilior renixus eſt; et cum eadem ſine obſtaculo et impedimento vires ſuos ſtimulatrices exercere poſſunt *.

In affectione univerſa, haec ubicunque corporis impoſita ſimili forte modo proficiunt; ſi vero topica ſit affectio, quam proxime parti affectae applicentur.

Sinapiſmi, et alia quae rubefaciunt, ſimili fere ratione, qua epiſpaſtica, effectus ſuos praeſtare opinor ego; quamvis vel nulla vel parva ſit effuſio quam faciunt; ſed propterea melius ſe res habet, quia minus debilitant.

Balneum tepidum.—Apud antiquos magni fuit hoc; et a recentioribus in uſum revocatum eſt. Quia calor balnei vaſa extrema ſtimulat, et, adjuvante humore, laxat; tutum propterea eſſe videtur remedium, et extremorum ſpaſmo optime adverſari.

Pedibus

* Riverius, cum de hac re diſſerens, haec verba profert: "Ubi "maxima eſt malignitas, totum corpus occupans, et ſaeviſſima ſymp-"tomata urgent, unicum veſicatorium non ſufficit, ſed plura adhi-"benda ſunt; ſoleo ego, in magna morbi ſaevitia, quinque locis ad-"movere, cervici nimirum, utrique brachio, parti interiori inter cu-"bitum et humerum, et utrique femori, parti etiam inferiori inter "inguina et genua, cum felici ſucceſſu."—Vide Riverii opera, ſect. 3, cap. 1. p. 455.

Pedibus et cruribus per debitum temporis ſpatium, ſaltem per horam, lotione tepida fotis, hoc remedium optime adhibetur: Æger non ex hoc ſatigatus, delirium mitius evadens, et ſomnus obrepens, effectus ejus fauſtos indicant.

II. Quod ad debilitatis cauſam ſummovendam, et effectus repugnandos, obſervatum fuit, pleraque ſedantia, quae debilitatem inferunt, paulo poſtquam adhibita fuerint, effectus ſuos omnino remittere; non igitur operis eſt adverſus ea luctari. Sed talis eſt hujus contagionis indoles, quod, cito poſtquam humanum corpus pertigerit illa, debilitas inſequitur; et ea eſt cui repugnare hujus conſilii opus eſt.

Quae autem propterea poſtulantur remedia, tonica ſunt aut ſtimulantia.

Duplicia autem ſunt tonica; frigus nempe, et quae medicamenta eo ſpectant.

Ipſum vero frigus duplici modo uſurpari poteſt; nempe, cum quae refrigerant in ventriculum ingeruntur, et cum ipſum corporis ſuperficiem perſtringit.

Potus frigidi.—Nec hi invalidi; tonica enim vi qua gaudent, facile et cito eorum effectus per reliquum corpus diffundunt; nunquam autem, ſi phlogiſtica diatheſis adſit, iſti conveniunt, et magis adhuc, ſi quaedam partes ſolae inflammatione correptae ſint.

Frigus ipſum.—Quod quidem, an aëre frigente, an aqua gelida corpori affuſa admoveatur, valde refrigerat; vel tonicum remedium eſt: At in omni febre, ae-

gro aër frigidulus omnino neceſſarius eſt, et gratia eum libere reſpirandi ſemper permittenda: Sufficiat autem de hac re, quod ſub *prophylaxi* prolatum fuit.

In Sileſia et nonnullis aliis regionibus, frigida corpus lavare non dubitarunt medici; et hoc in febribus admodum prodeſſe exiſtimarunt: In noſtro quoque noſocomio Edinburgenſi, idem remedium magno cum commodo uſurpatum fuit; adeo ut quae in aegris hoc morbo laborantibus graviora ſe protulerunt, hac ratione cito in meliora eſſent verſa; quod quoque probant exempla ab illo viro ingenioſiſſimo Howard prolata *.

Attamen, ſi non omnino conveniat corpus in aqua immergere, reſtat ut eodem conſilio ſpongia aqua et aceto madefacta utamur. Hic uſus multis in aliis exemplis maximi commodi fuit.

Diverſa ſunt remedia quae in hac febre ut tonica uſurpari poſſunt: Equidem multa ex tonicis, quae foſſilia praebent, in febribus continuis adhibentur; ſed quia uſus eorum raro per omnia deductus eſt, inde effectus incertiores: Medicis autem pleriſque ea tonica, quae vegetabilia praebent, in uſu fuere; inter haec cortex Peruvianus, et ille qui cinchona *Jamaicenſis* vocatur, merito maximi aeſtimantur; qui non in humores corporis,

* En verba ejus: "I might mention, as an evidence of the advantage of baths in priſons, that I have known inſtances where perſons ſuppoſed to be dead of the goal fever, and brought out for burial, on being waſhed with cold water, have ſhewn ſigns of life, and ſoon after recovered."—Vide Howard's State of Priſons, &c. p. 23.

corporis, ſed ejus firma, effectus ſuos praeſtare videntur; effectus nempe quos ea per totum corpus diffundunt.

Cullen quidem docuit, quod cortex Peruvianus uſurpari ſolummodo debet inter remiſſiones longiores; nempe, ut quando ſtadium inflammans abeſt, et cum debilitas univerſum corpus occupat, regreſſui exacerbationis inſecuturae obſtat; in hanc opinionem magna ex parte eo; ſed ſaepe aegros vidi, quibus, ab uſu corticis Peruviani nimium evitato, periculum maximum intentatum eſt.

Quod ad uſum ejuſdem pertinet, non niſi large uſurpari debet; ſed ingeratur, commiſtus quocunque cum latice quem aeger potius appetat.

Quibuſdam ab exemplis mihi veriſimile videtur, quod cortex cinchona *Jamaicenſis* multo valentior eſt quam Peruvianus; et idcirco majore cum commodo in hac febre, cum diatheſis phlogiſtica non adeſt, uſurpetur.

An uſui ſint illa, in ſtadio provectiori morbi hujuſce, quae a ferro et cupro diverſis in modis parantur? Quoniam haec ſunt maximi commodi in aliis debilitatis morbis, mihi veriſimile videtur; ſed non niſi omnia inflammationis ſigna prorſus abſint. Eorum uſui objiciatur forte, quod non niſi tarde operantur; at his in uſum vocatis ne alia tonica praemittantur; a talibus enim conjunctis magis proficietur.

Caetera remedia quibus debilitati, et ejus effectibus, obviam eſt eundum, ſtimulantia ſunt.

Inter haec vinum et opium primum locum vendicant.

Vinum.

Vinum.—Hodie in febribus vinum ubique praecipitur; et caute propinatum, inter omnia ſtimulantia et cardiaca quae nobis adhuc noviſſe contigit, praecipuum eſt: Gratum eſt enim et ventriculo et palato; cordis arteriarumque actionem incitat, et dolorem atque delirium lenit: Hoc praeſto debet eſſe adhibendum, quandocunque in febre, quae ſtimulent, deſiderantur; quia idonea ejus quantitas facile cognoſcitur; et hoc modo poſſumus dare, quod nobis ſatis videatur.

Inter id nihilominus utendum, multum curae poſtulatur; etenim, ut ſummo commodo eſt juſtus ejus uſus, ita ſummae noxae eſt ejus abuſus et incauta adminiſtratio.

Quae functiones magna debilitate correptas oſtendunt, uſum ejus, etiam incipiente typho, indicant; et quo magis haec infirmantur, eo largius ſumendum eſt: In delirio autem, vel aliis a phlogiſtica diatheſi orientibus, ab eo ſumma cura abſtinendum eſt, propter vim ejus ſtimulantem: Sed, in delirio a collapſu pendente, ad id noſmet recipere debemus; etenim medicamentum praecipuum eſt, et in quo praeſertim fiducia collocanda; ſaepe enim celeriter et mirum in modum anxietatem animi ſopit, et *irritabilitatem* nervoſi generis, quae debilitatem comitatur, lenit.

Si devorandi facultas, ut ſaepe in ultimo morbi ſtadio, deficit, uti debemus clyſmatibus vini tepidi, &c. quae nutriant.

Sin autem non in promptu ſint vina, neceſſe erit, ut alii liquores in uſu ſint, ſcilicet cereviſia Londinenſis vetuſta et ſimilia: Si vero tales palato injucundi ſint, ſuc-

cus

cus pomorum vel pyrorum fermentatus, vel etiam latices ardentiores aqua diluti, ut Gallici ſpiritus, &c. proſunt.

Opium.—Hoc quidem vi tam mirabili gaudet, quod Sydenham cardiacum optimum eſſe dixerit, atque ſine eo mancam fore et claudicaturam medicinam: Praecipuum quoque inter antiſpaſmodica eſt opium; quia, diatheſi phlogiſtica ſublata, id, parvis in quantitatibus ſaepe iteratis, adhibitum, vaſa ſanguifera ſtimulat; et, ſanguinem verſus ſuperficiem propellens, extremorum ſpaſmum ſolvit.

Largius adhibitum, etiamſi non niſi ſemel, procul dubio ſedat; et, quanquam ſolummodo, quae ſtupor et ſomnus appellari poſſunt, inducere videatur, aegrotus tamen de languore, frigoris ſenſu, dolore capitis, et totius corporis tremoribus, poſtea conqueritur, interea ſe non dormiiſſe aſſeverans.

In hujuſmodi autem febribus, opium maxime prodeſſe videtur, quandocunque *irritabilitas*, delirium, vel convulſiones a mobilitate pendentes ſe manifeſtaverint. Uſus ejus praeſertim indicatur, multum levaminis pollicens, ſi exinanitiones, ut ſudores vel diarrhoea, quae vires aegro brevi conterunt, acciderint. Quod vero et ad opium et vinum adminiſtranda, oportet ut conſuetudines, quae forte praeceſſerint, haud levi cura reſpiciantur; ut et aegrorum craſes priſtinae: Haec vero medici judicio relinquenda ſunt.

III.

III. Ut humorum proclivitati ad putredinem occurratur, et ut eadem corrigatur, quod fieri poteſt,

1*mis*, Evitando quamcunque applicationem materiei putreſcentis.

2*do*, Quod in corpore jam putreſcens ſit expellendo; vel,

3*tio*, Idem etiam in corpore corrigendo.

4*to*, Tonum vaſculorum ſuſtentando; et exinde proclivitati ad putredinem obviam eundo, vel effectibus ejus occurrendo.

Quod ad primam conſilii partem perficiendum convenit,

a. Ægrum a locis aëre refertis impuro amoveri.

b. Aëra, a quo non removeri poteſt, corrigi.

c. Halitum ab ipſo aegro provenientem, aëre cubiculum liberius perflante, et ſtragulis atque veſtimentis crebro mutatis, latius diſpergi.

d. Omne excretum, urinam ſcilicet, faeces, &c. quam celerrime auferri.

e. Cibum qui ex carnibus conſtat evitari, vel magis idoneum reddi.

Conſilii ejuſdem ſecunda pars perficitur partim, inteſtina, ope enematum ex aqua tepida, vel quodam ſimili confectorum, evacuando; ſed praecipue diluentium uſu crebro, urinam, &c. promovendo.

Tertia autem conſilii pars, quae ſpectat ad nocivam materiem mitiorem reddendam, diluentibus quoque aggredienda eſt; illa enim quae antiſeptica nuncupantur, eandem corrigunt. Diverſa autem antiſeptica; ſed ea

quae

quae praecipue uſurpantur, ſunt alimenta aceſcentia, acida omnigena, ſales medii, et aër fixus: Ad hoc conſilium pertinet diaeta quoque; haec enim in morbis curandis maximi momenti eſt; et in eam medici antiquiores multum curae impenderunt.

In morbis hujuſmodi, propter debilitatem quae cito ingraveſcit, permittendus eſt, magis quam aliis, cibus nutriens; quamvis autem ea, quae ex carnibus conficiuntur, multum nutrimenti ſuggerant, tamen, quia cito putreſcere ſolent, nec facile concoquuntur, in hujuſmodi febribus admodum aliena ſunt; indicantur propterea farinacea; utpote quorum eſt multum materiae ſaccharinae et oleoſae; quia a tali materia plane conſtat quodcunque nutrit: Conveniunt idcirco quaeque ptiſana ſaporis grati; id quod *ſalep*, vel *ſago* appellatur, vino propter gratum ſaporem admiſto; gelatinoſa e cornu cervi *calcinato*, vel uvis Corinthiacis parata; panis toſtus e vino Burdigalenſi, Rhenano, vel Luſitanico; fructus omnigeni aceſcentes, praecipue poma, mala aurea, &c. ſcilicet quae ſitim tollant, et ad putredinem proclivitati adverſentur.

Sub hujuſce morbi exitum, et quando jam ferme evanuerit, victus lautior, et exercitatio modica ſub Jove frigidiore peracta, curationem magnopere expediunt.

A multis ſcriptoribus commendata eſt aëris fixi adminiſtratio; etenim compertum fuit hunc in corporibus animae et vitae expertibus, non ſolum putredini obſtare, ſed quoque, cum jam adeſſet, eam corrigere, et etiam rebus ſolitum ſuum odorem gratum redintegrare.

Quaedam

Quaedam obſervationes de hac re factae ſunt a viro illo cel. Prieſtley; cui multa et ea maximi momenti ſuadebant, ut periculum hujus aëris in putridis febribus, diarrhoea ſtipatis, ſub forma enematum faceret; et fauſtus eventus pluſquam ſpei reſpondebat.

Dobſon, et in rebus medicis et philoſophicis non poſtremus, uſum hujus aëris ſemper commendavit; adminiſtrari autem poteſt idem vel in aqua eo valide impraegnata, vel fructibus maturis, ut malis aureis, pomis, &c. vinis meracioribus, et muſto, ſi alvus conſtrictior ſit.

Quod ad quartam partem et vaſorum tonum ſuſtinendum, conveniunt medicamenta quae tonica vocantur; quorum praecipua ſunt frigus, cortex Peruvianus, cinchona *Jamaicenſis*, et (modo ſine incommodo ſint) ea quae a ferro et cupro parantur; ſed de utroque horum ſatis antea dictum fuit.

Dum aegrotus convaleſcit, ſumma cura nunquam non adhibenda eſt; de febris reditu, cujus, propter debilitatem inductam a priore febre, non leve adeſt periculum, praecaveatur. Huic autem rite aſſequendo, nihil magis idoneum eſt, quam ut omnes cauſae remotae omni diligentia evitentur; ut in uſu ſint, nec parce, cortex Peruvianus, cinchona *Jamaicenſis*, vel alia quae effectum tonicum optimum praebeant, et ut in iiſdem diu perſtetur; necnon, ut in uſu ſit diaeta lauta et nutriens; modica exercitatio; convenit quoque ſubinde in balneum frigidum deſcendere, ſed ibi tantum per breve temporis ſpatium morari.

Quae

Quae ſupra ſunt in ſequenti tabula conſpectui uni ſubjicere conabor; viz.

Ad hunc morbum tollendum indicatur,

I. Spaſmum extremorum vaſorum ſolvi:

A. Remediis interne adhibitis; atque illa ſunt

a. quae ad ſuperficiem humores propellunt, ſcilicet,

α. Diluentia,

β. Sales medii,

γ. Sudorifica,

δ. Emetica.

b. Quae antiſpaſmodica appellantur; ut

α. Opium, camphora, moſchus, &c.

B ——— externe ——— qualia ſunt

a. Epiſpaſtica, vel ea quae rubefaciunt,

b. Balneum calidum.

II. Debilitatis cauſas removeri, et effectibus ejus obſiſti; quod fieri poteſt

A. Vim cordis arteriarumque ſuſtentando, et augendo; ad quod efficiendum conveniunt

a. Tonica; ut

α. Frigus,

β. Medicamenta quae tonica appellantur, viz.

αα. Foſſilia; qualia ſunt

ααα. Saccharum ſaturni, ea quae a ferro et cupro parantur, &c. vel

ββ. Vegetabilia; ut

ααα. Cortex Peruvianus, cinchona *Jamaicenſis*, &c.

b. Stimulantia; et ea ſunt

α. Aromata,

β. Vinum,

γ. Opium, &c.

III. Humorum ad putredinem proclivitatem praeveniri vel corrigi; propter quod conſequendum

A. Ablegentur putrida et putreſcentia; idcirco

a. Æger a locis aëre corrupto plenus removendus eſt;

b. Aër ipſe corrigendus, cum nequeat removeri aeger;

c. Ægri halitus in auras diſſipandus; ſcilicet

α. Aëra frigidum et recentem aſſidue cubiculum perflare permittendo.

β. Stragulis et induſiis linteis quam ſaepiſſime mutatis.

d. Excreta omnia ſedulo et cito auferenda ſunt.

B. Quodcunque putreſcens corpori jam inſit ejiciatur; quod fieri ſolet

a. Alvum ſaepe liquando; quod tantum fieri debet

α. Enematis eam leniter ſubducentibus.

b. *Diaphoreſin* et *diureſin* immunes conſervando

α. Diluentibus,

β. Salibus mediis.

C. Quae in corpore putreſcant, corrigantur

a.

a. Diluentibus

α. Aqua fixo aëre imbuta,

β. Tenuioribus vinis recentibus,

γ. Succo pyrorum, vel pomorum fermentato.

δ. Cum haec non adſint, liquoribus e byne confectis; ut cereviſia Londinenſi (Anglice *porter*) ſpiritu Gallico, aliiſque liquoribus ardentibus.

b. Antiſepticis totum corpus afficientibus; viz.

α. Aëre fixo, ut enemate immiſſo.

β. Antiſepticis una cum aëre frigido toti corpori admotis.

D. Putredini ulteriori repugnetur, vel effectibus ejus obſtetur, quod fieri poteſt,

a. Vaſorum tonum quam maxime ſervando,

α. Tonicis remediis, ut frigore, cortice Peruviano, cinchona *Jamaicenſi*, &c.

T A N T U M.